LEONIS BELGICI

PARS ALTERA:

RERVM IN BELGIO
PACE AC BELLO (AB ANNO
M. D. XCV. VSQVE AD ANNVM M. DC. VI.)
gestarum veram ac fidam conti-
nens

NARRATIONEM.

EASDEMQVE ECTYPIS AE-
neis ob oculos positas repræ-
sentans.

LEONIS BELGICI

PARS ALTERA:

RERVM IN BELGIO PACE AC BELLO (AB ANNO M. D. XCV. VSQVE AD ANNVM M. DC. VI.) gestarum veram ac fidam continens

NARRATIONEM.

EASDEMQVE ECTYPIS AEneis ob oculos positas repræsentans.

AD ÆQVVM ET BENEVOLVM LECTOREM

PRÆFATIO.

LEONEM BELGICVM fœcundum Michaelis Eitzingeri ingenium, & artificiosa Francisci Hogenbergij manus nobis dederunt. Huic multo potentiorem manum Mors matura iniecit: illius non memoriam quidem, fœtus tamen eadem nobis abstulit & inuidit. Bella ille nobis & res gestas descripsit; hic sculpsit. Continuantur bella; res porrò geruntur. Quid iam? An eorum omnium memoriam ita è manibus dimittemus? Minime vero: quin potius Deo gratiæ agendæ sunt, qui decedentibus semper aliquos succenturiat, qui ab alijs acceptam lampadem ad calcem ferant. Deteriores fateor sæpe: quales quales, tamen sint, boni eorum consulendam operam puto, qui in hoc studio desudant, rerumque gestarum memoriam ab obliuione vindicare omni studio laborant. Etsi vero vtraque pars (vim forte verbo facio, quod Historicam scientiam sic appello: sed ars sanè appelletur, quæ sculptoriæ præstantissimæ arti mutuam tradit operam) etsi, inquam, vtraque ars per se laudabilis est, & ad cõseruandam rerum gestarum memoriam opportuna: tamen nescio quomodo altera alterius (vt Horatij verbis vtar) poscit opem res & coniurat amice. Ex omnibus enim externis sensibus quum oculorum sit acerrimus, ac maximè mentem afficiat: facile intelligi potest quanta vis tabulis istiusmodi & ad doctrinam & ad animi motum insit. Ad doctrinam dico: quod in ijs quæ ad bellum spectant tabulis, regionum & oppidorum situs, quæq; alia inprimis Martis filijs scitu necessaria, oculis obijciuntur; vnde mẽs oppugnationis vel defensionis facultatẽ aut difficultatem, prælij felicis vel aduersi causas, colligere potest. Ad motus animorum concitandos ea præcipuè pertinent quæ magnorum virorum euentus, lætos, tristes; ouationes, triumphos, carceres, supplicia, diuersa admodum animi vt in fidibus neruorum intentione adumbrant. Hinc pictura & statuaria tantopere ab antiquis laudatæ, vt etiã inter liberalia studia sint annumeratæ. Aeneas ille Virgilianus in Didonis regiâ Ilij sui excidium penicillo expressum cernens, quam mœret? E contrà Ouidianus Pygmalion statuæ à se sculptæ aspectu quam delectatur, quam exardescit? Mitto picturam (cuius hanc nostram partem esse nemo credo negauerit) per oculorum sensum tacitos animis affectus instillantem: ad aurium sensum venio, ad hunc enim lectio referenda est. Sed vnum exemplum satis sit; Virgilij scilicet Poëtarum

tarum principis, qui paucis sed grauissimis versibus Marcelli præstantissimi iuuenis interitum mortemque immaturam describens, Liniæ affectus ita commouisse dicitur vt extra se raperetur. Nec mirum profectò, tantopere articulatam rei alicuius narrationem afficere, quum tibicen Alexandro illi Magno quoscunque vellet affectus induisse legatur. Sed hæc satis multa: nunc ad rem. LEONIS BELGICI ab Eitzingero incepti continuatam heic damus historiam, vtroque modo repræsentatam: quam equidem speramus, beneuole Lector, tibi non fore iniucundam. Equidem operam dedimus vtrisque vt sensibus inseruiretur; id assequuti an simus, tuum erit iudicare. VALE.

REVERENDISSIMI SERENISSIMIQVE PRINCIPIS AC DOMINI, D. ALBERTI, CARDINALIS, Archiducis Austriæ,&c.in Belgium aduentus & res gestæ.


MORTVO, vti supra dictum est, inclyta memoria Ernesto Archiduce: Hispaniarum rex reuerendissimum atque illustrissimum Cardinalem Albertum Austriacum, prædicti Principis & inuictissimi Romanorum Imperatoris Rudolphi II. fratrem, Archiepiscopum Toletanum, qui Lusitaniæ regnum magna cum laude hactenus pro rege administrarat, ad Belgij habenas moderandas destinauit. Quod vbi percrebuit, omnium tam incolarum quam exterorum animi in certam prope spem vel breui feliciter conficiendi belli, vel pacis tolerabilibus conditionibus componendæ erecti sunt. Hic quidem abitum ex Hispania iam pridem parárat: sed afflicta regis valetudo & maritimæ Turcarum circa Algeriam depradationes eius discessum retardarunt: conualescente vero rege, & Turcis abactis, naues conscendit, & cum suo comitatu in Italiam, Genua. *prospera vsus nauigatione appulit, à Genuensibus, qui quatuor Senatores, nec nō Auriam cum classe obuiam ei Sauonam vsque miserant, regali magnificentia ac liberalitate exceptus.*

Erat in eius comitatu inter ceteros Philippus Auraici è Maximiliani Ecmondi Burani Comitis filia natus primogenitus, qui initio Belgicorum motuum ab Albano Duce in Hispaniam missus, ibique in Catholica religione educatus est. hic Genua à Cardinali discedens, Romam partim vrbis visendæ, partim Pontifici obedientia præstandæ Roma. 20. Octo. *studio contendit, cui Hispaniarum regis orator cum tribus cisijs ad Molam vsque pontem obuiam processit, honorificeque exceptum in suum hospitium deduxit; vbi post triduum ad colloquium cum Pontifice admissus, illius pedes est deosculatus.*

Luxemburgum. *Cardinalis Albertus per Burgundiam magno cum comitatu ob Gallici belli metum* 1596. *profectus, Luxēburgum tandem venit; vbi eum nobilitas Belgica cum Fontano Comite obuiam profecta, reuerenter admodum atque honorificè excepit. Huc quoque sere-* 30. Ian. *nissimus Ernestus Archiepiscopus Coloniensis, &c. cum nobilitate Leodiensi aduolauit, cognato suo aduentum quam felicissimum gratulatus.*

Ordines Hollandiæ eorumquè confederati, intellecto Auraici ex Hispania aduentu, statim gratulatorias ad eum litteras miserunt, quarum initio significant quam gratum ipsis fuerit quod post diuturnam (vt ipsi loquuntur) & iniquam captiuitatē libertati tandem sit restitutus. Etenim patris ipsius tot tantaque esse in se merita, vt nec illius, nec filij memoriam vmquam abijcere possint. Deinde exaggerant dolorem suum quem ex eius captiuitate, in qua non tantum pueritiam, sed etiam meliorem vitæ partem transegerit, concepissent: præsertim quoties cogitarent hanc captiuitatem pro caussa tam æqua illum sustinuisse. Porrò hanc eius libertatem & restitutionem suspectam facere conati, eam non beneuolentiæ, sed fraudi suorum hostium adscribūt: atq; iterum ad patris laudes conuersi, libertatem patriæ ab illo tot molestijs ac laboribus assertam, & morte consignatam aiunt. Tandem orant eum, vt hoc rerum statu in confederatarum prouinciarum nullam, nisi impetrato prius commeatu, ingrediatur.

Luxemburgum. *Ad has litteras Auraicus humaniter admodum ac beneuole respondit: Gratissimum* 1. Febru.


EINZUG des Cardinals vnd Er[...]rzhertzogen Alberti zu Brußel
geschehē Anno 1596. dē 11 Februa.
C. Albert


des Kunigs hoff

sibi fuisse Ordinum hoc in se studium & affectum. Sibi quidem in omnibus actionibus nihil aliud fore propositum quam vt charissima patria post tot tantasq́, belli calamitates quieti & pristino splendori restituatur; neque aliud spectare serenissimum Cardinalem Albertum Austriacum, de cuius egregia voluntate & singulari pacis promouendæ studio optima quæque tutò sibi queant polliceri.

11. Feb. *Albertus Cardinalis Luxemburgo cum proceribus Belgarum atque Hispanorum, & magna equitum peditumque manu in Brabantiam se recepit, atque 11. die Februarij inter tertiam & quartam horam vespertinam vrbem Bruxellensem hoc ordine est ingressus.* Bruxellæ.

Senatus illi ante portam Louaniensem occurrens claues obtulit. tota ea via per quam ad palatium itur, arcubus triumphalibus, magno sumtu, maiori industria & artificio factis, erat exornata. Inter cetera opera nauis erat triũphalis, automata, quæ occultis rotis imposita caterisque armamentis instructa, per forum agebatur, & expansis velis, remigijsque fretum circumfusum pulsantibus, equitantem Cardinalem sequebatur. Theatra quoque siue podia opere pulcherrimo erant exstructa, & ante palatium regis pyramis miræ altitudinis erecta videbatur, in cuius fastigio sol admirabili luce radiabat. Omnia hæc varijs historij[s], imaginibus, emblematis, & inscriptionibus, ad laudem serenissimæ familiæ Austriacæ, & inprimis ipsius Cardinalis, tum etiã ad patriæ statum & spem incolarum ac vota pertinentibus, erant insignita. Præcedebant tubicines æneatoresque & equitatus. hunc sequebatur Philippus Nassouius, Auraicus Princeps: post hunc multi alij principes viri: quos tandem Cardinalis & Archidux Albertus, cum Fontano Comite, læuum ei latus claudente, insequebatur. Totius huius agminis dextrum & sinistrum latus stipabant satellites, ministri, & qui faces ardentes gestabant reipublicæ tribuli. Hoc ordine Princeps inter sibila & faustas populi acclamationes palatium ingressus, ab omnibus patriæ proceribus ordinibusque salutatus, magnificeque exceptus est.

Quam graue onus tum illustrissimus Albertus, quamque duram prouinciam susceperit, dici vix potest. Hostibus enim ita cinctus vndique erat, vt à nulla parte securitatem sibi promittere posset, hinc Gallis, illinc Anglis, hinc Hollandis & eorum socijs terra ac mari imminentibus; quarum nationum singulæ vel ceterorum regum potentissimi vires poterant fatigare. Hos omnes simul sustinuit Albertus Cardinalis, nec sustinuit tantum, verum etiam clarissimas victorias cum immortali sua laude ab ipsis reportauit. Quum vero ad eos qui à rege defecerant ad obedientiam reuocandos missum se sciret, idque duabus omnino rationibus esset efficiendum, vel amica ac fida pacificatione, vel armorum vi: priorem illam viam, pro innata ipsi clemẽtia ingredi primũ maluit; in qua si ad exitum peruenire nequiret, tum demum ad alteram diuertendũ, prædecessorum exemplo, iudicabat. Missis igitur ad Ordines confœderatos Hagam Comitis, ipsumque Mauritium Nassouium Comitem litteris, non tam ad prouincias armis domandas, quàm miti ori aliqua ratione pacandas & pristino splendori, Deo benè iuuante, restituendas, venisse se significabat. Idem quoque Philippus Auraicus & ad Ordines & ad fratrem Mauritium perscripsit, operam suam in pacis tractatione promouenda prolixè deferens: deque optima Cardinalis Alberti voluntate multa præclarè testatus. Sed tantum abest vt illi ad vllam pacis tractationum descẽdere voluerint, vt etiam ne respondere quidem dignati sint. Quare Cardinalis officio suo se satisfecisse ratus, & ipse magno animo ad bellum se parauit.

Fera

Castel le tum. — 12. Martij.

Fera tum à Gallis arctißima obsidione premebatur, iamque in magnis præsidiarij, ob commeatus inopiam angustijs versabantur. Albertus igitur obseßis subuenire cupiēs, Basta veterano militum ductori id negotij dedit, qui absque vlla mora decem selectorum equitum turmas ad pontem Rachium in agro Duacensi conuenire iußit, cum quibus eodem die Castelletum in Veromanduis, magno cum silētio contendit. Postridie oppidi portas aperiri vetuit, ne consilij sui indicium aliquod ad hostes emanaret: deinde conuocatis præfectis ac ducibus, Archiducis Cardinalis mandata exponit, simulque quas quantasque ea res quam instituissent difficultates habeat, quantas etiam si perficiatur vtilitates allatura sit, indicat, addens magna & præclara facinora sine magnis periculis patrari non posse.

Fera. — 13. Martij.

His auditis, præfecti omnes strenuam operam polliciti, equos conscendunt, & eodem die hora à meridie 4. itineri se committunt, singulis equis certo farina pondere imposito. Sic igitur Somona fluuio prope Farnacense monasterium nocte iam ingruente traiecto, & Fanum S. Quintini prætergreßi, ad Trauersium vicum nocte intempesta peruenerunt, in quo Heluetiorum aliquot erant cohortes, quibus relictis, quum iam Fera appetente luce appropinquarent, Basta Gabrielem Rodriguesium cum prima acie præmisit, ipse cum reliquo agmine est insequutus: ad quem accepto signo sine vlla mora Aluarus Osorius præsidiariorum præfectus cum multis scaphis ad eam rem præparatis Fera est egressus, quibus commeatum exceptum oppido intulit.

Interea in Gallorum castris Ad arma conclamatur, & octingenti circiter equites circa Fanum S. Quintini in insidijs locantur: quibus cognitis, Basta quantocyus retroceßit, & mutato consilio aliud iter ingressus, in agrum Cameracensem, desideratis nonnullis, est reuersus.

Quum ad Feram obsidione liberandam exercitum ducere res plena periculi videretur: Cardinalis Albertus, adhibitis in consilium rei militaris peritißimis ducibus, alium quendam locum oppugnare decreuit, vt sic Galliæ regem à Fera obsidione diuerteret atque auocaret. Proposita sunt à quibusdam Perona, Guisa, Fanum S. Quintini, & Caletum. Et de ceteris quidem oppugnandis consilium Albertus repudiauit, vel quod Gallico exercitui nimis essent vicina, vel quod earum occupationem tanti non faciendam existimaret, vt propter eas regius exercitus tot tantisque periculis obijceretur, tantique sumptus impenderentur: Caletum vero si capi posset, Feræ amißionem æquo animo tolerandam putabat, quòd illud & vicinius esset Flandriæ, & situ ob portus commoditatem longe opportunius.

Caletum.

Est verò Caletum loco plano positum, & tribus amplius partibus amne, riuis, ac palude fere inaccessum; ab occidente portu amplo ac mari cingitur, forma quadrata & tribus prominentibus propugnaculis ad angulos distinctum, & quarto quod meridiem respicit, vbi vetus arx surgit; adhæc pomœrio spacioso è terra non ita spissa congesta (nam arenosum toto illo tractu solum est, quod ad violentes tormentorum ictus statim instar pulueris dissilit) fossa item profunda & ampla, in quam amnis Harmia


CALAIS
Pon de mulet


Spaniersche Leger

illabens, qui vrbem alluit, continuo flexu decurrit, & riui paludem circumiacentem irrigantes, in eam pariter exonerantur. Per paludem ad vrbem aditus non est, nisi per aggerem, cui Nouambriga imposita est: per mare nauibus in portum ingressus non patet, nisi permittentibus Risbani (est id turris ac propugnaculi ad ipsas portus fauces nomen) præsidiarijs. quare duo hæc oppidi quasi cornua ei tenenda sunt, qui loco potiri cupit: eaque potissimum ratione Anno 1558. à Francisco Guisio Anglis est ereptum.

Valencænæ. Omnibus igitur copijs ad Valencænas conuenire iussis, Cardinalis Albertus eodem cum maxima nobilitatis parte contendit: ibique re iterum deliberata, in illo de Caleti oppugnatione, quamuis non deessent qui Feranis auxilium ferendum censerent, perstitit. Erant in eius exercitu sex Hispanorum, duo Italorum, quatuor Valonum, totidem Germanorum, duo Burgundiorum & equitum tam grauis quam leuis armaturæ tria milia: quibus omnibus cum imperio præfectus fuit Ronius, Mainij Ducis olim legatus, magna experientia militari, prudentia & animi magnitudine præditus. Hunc Princeps Albertus ad Fanum S. Audomari quam celerrime proficisci, ibique cum Ludouico Velasco & Alphonso Mendoza, Comite Buquoio & Barlotta coniunctis copijs, ad Caletum continuo ducere, duoque illa loca, Nouambriga pontem & Risbanũ occupare iussit. Et illum quidem Ronius securè degentibus paucis qui ibi erant Gallis nullo fere negocio sui iuris fecit. non minus facilis Risbani fuit oppugnatio, è quo sexaginta circiter præsidiarij aliquamdiu se defendentes, turpiter tandem se subduxerunt, locumque, vno tantum vexillifero hostium occiso, Ronio occupandum reliquerunt. 30. Martij

Risbanũ. 9. Aprilis.

Dum Risbanum oppugnatur, præsidiarij Caletenses oppido egressi, locis vicinis circa vrbem igne iniecto, omnia quæcunque hostibus vsui quoquomodo futura videbantur vel corruperunt, vel in vrbem comportarunt.

Interea Cardinalis vt hostem magis incertum redderet, Ambrosium Landrianum cum leuis armaturæ equitatu ad Monstrolium, Augustinum Mexiam cum septendecim peditum vexillis & octo machinis Sampaulum versus, alias cohortes ad Betunam misit; ipse cum reliqua parte peditatus Fanum S. Audomari petijt, nuncium de Ronij ad Caletum successu exspectans, inde consilia sua moderaturus.


Quum de Caleto quæ vellet nunciata essent, omnes vndique copias contrahit, & Caletum quanta potest celeritate ducit: mox castra ita disponit, vt stagnis, paludibus & riuis vndique inclusa, vix vlla parte etiam à magno exercitu oppugnari possent.

A mari quoque nihil aut parum metuendum erat periculi, in Risbano ita dispositis machinis vt naues longe lateque possent arceri: quod reipsa apparuit quum illis diebus Gallicæ aliquot Bononia summissæ, itemque nonnullæ Hollandicæ naues portum ingredi frustra tentassent.

Galliæ & Nauarræ rex inopino nuncio perculsus, relicta ad continuandam Feræ obsidionem exercitus parte, summa celeritate cum equitatu & copijs pedestribus Bononiam proficiscitur, missisque in omnes partes nuncijs, opem Anglorum & Hollandorum sollicitat: Compagnolā vero & Moncaurelium impigros duces cum militum subsidio Caletū mittit, qui scaphis vecti in vrbē incolumes peruaserunt. Decreuerat Albertus eam vrbis partem quæ portum & mare spectat, oppugnare, quod murus ibi infirmiora tormentorum pilis facilè subuerteretur. Id autem vt commodius perficere posset, suburbia portui adiacentia opere & milite communita, postridie Resurrectionis Domini adortus expugnauit. Deinde nihil cunctandum ratus, ferijs paschalibus sub auroram vrbem tormentis diuerberare cœpit, quibus ingenti murorum mox facta ruina, ciues metu perculsi, primo dierum 8. deinde 24. horarum inducias postularunt: sed ijs negatis, tormenta rursus immani fragore displodi cœperūt. Hinc ciues rebus suis diffisi clamore edito de vrbis deditione mature transegerunt; quibus Albertus vrbe dedita, vitæ ac fortunarum incolumitatem pollicitus, tormenta omnia tradere, & arma deponere iussit concessa interim potestate vel remanendi, vel in arcem se recipiendi, donec sex dierum induciæ effluerent, intra quos nisi subsidijs adiuuarentur, arcem dederent. His acceptis conditionibus, confestim ciues priusquam Hispanorum & Belgarum cohortes in vrbem essent introducta, ad vnum penè omnes cum præsidiarijs in arcem confugerunt, domosque vacuas victoribus reliquerunt occupandas: qui mox sub signis ingressi tormenta eò conuexerunt. 15. April. 17. April.

Rex Galliæ à Compagnola, qui arce clam excesserat, de obsessorū periculo certior factus eundem cum ducentis militibus in arcem remisit: isq; auijs itineribus per medios hostes eò vnde exierat reuersus, ciuibus persuasit Anglorum & Hollandorum naues propediem cum magnis auxilijs ad futuras. Aderat iam vltimus induciarū dies, atque tormenta omnia contra arcem ad oppugnationem stabant instructa, quum obsessi deditionem facere recusantes, nocte ea quæ expugnationem præcessit, tormentorum ictibus Hispanorum & Belgarum stationes cœperunt impetere. At luce exorta tanto tormentorum fragore atque impetu arcis mœnia Alberti iussu conuerberata sunt, vt eodem die milites Hispani & Belgæ ante meridiem per murorum ruinas arcem, cæsis plurimis ex propugnatoribus, expugnârint. Cæsus est Vidossanius Caleti gubernator, vnà cum præfecto vigilum & plus minus octingentis tam ciuibus quam militibus: Compagnola viuus in hostium potestatem peruenit, itemque aliquot alij milites, qui in fossas initio statim effugiendi studio se demiserant. Mulieribus, pueris & plerisque ciuium qui abiectis armis loco quodam se incluserant, parcitum fuit. Galliarum rex, qui eminus cum Anglis & Hollandis Alberti victoriam spectarat, Ambianum se contulit, vt eam vrbem cum finitimis arcibus præsentia sua confirmaret; Bononiæ, Monstrolio, Ardea & ceteris locis quò Albertus cum victore exercitu iturus putabatur, validis impositis præsidijs. 24. April

Ardea. *Caleto ita feliciter expugnato, Archidux Albertus Cardinalis Nonis Maij Ardeā situ atque opere munitissimum oppidum obsidere cœpit, quod Galliæ rex paullo ante Comiti Belinio, Carolo Ramburio, Montucio & alijs ducibus cum duobus peditum equitumque milibus tutandum commiserat, qui crebro erumpentes, damna primo non exigua Alberti castris inferebant. Suburbana enim loca fossis, vallo & aggere diligenter communierant, è quibus tela in obsidentes sine intermissione torquebant, oppidi portis interea per totum obsidionis tempus noctu diuque, ad hostis illudendum, patentibus: donec Barlotta militum ductor suburbanas munitiones Alberti iussu ag-* Nonis Maij.


ARDRES
Bourlotte
Dõ Ambrosie landriano
Dõ luys de Velasques
Dõ Alonzo de mendoca


de Bie
M. Gruson
Do. Augstin mexia
C. De Bourquoy
Abzug der Frantzosen
M. de tesselin

greſſus, multis ſuorum vulneribus expugnauit. Inter ſaucios ipſe quoque Barlotta fuit, & mox ad curandum vulnus Fanum S. Audomari eſt delatus.

Galli vero rurſus ex oppido magno numero erumpentes in armatas Antonij Coquellij fortiſſimi ducis, qui ſuperiori tempore obſidione Stenu:cenſi inclaruit, cohortes magno impetu irruerunt, plurimoſque interfecerunt; tandemque è ſuis etiam multis deſideratis, inter quos Monlucius fuit, cum Aquitano quodam imp gro militum præfecto, in oppidum redierunt. Cum autem ſuorum numerum aſſiduo minui, hoſtemq́; dirutis iam murorum pinnis omnia ad oppugnationem neceſſaria præparare viderent, nec tam ſubito à rege auxilia ſummitti poſſent, communicata re cũ ciuibus legatũ in caſtra ad Cardinalem miſerunt, poſtulatis aliquot dierum inducijs; verum Alberto, reſpondente, abſque vlla mora deditionem eſſe faciendam ſi rebus ſuis conſultum vellent, re infectatum diſceſſum eſt. 19. Maij.

Poſtridie quum iam diluxiſſet, Albertus decreta oppugnatione vniuerſum exercitum in armis eſſe iubet: ſed Galli priuſquam tormentis murus ferretur, nupera Caletenſium clade fortè perterriti, ſub horam octauam matutinam his conditionibus oppidum dediderunt: Præſidiarij cum armis, explicatis ſignis, tympanis ſonantibus, & impedimentis ijs quæ portare poſſent, excederent, ab omni interim eccleſiaſtica ſupellectili manus abſtinerent; ægri & vulnerati, curribus impoſiti abducerentur: liberum eſſet omnibus in vrbe manere, hac conditione vt iuramentum fidelitatis Hiſpaniarum regi præſtarent. Sic igitur ipſis Aſcenſionis Domini ac Dei noſtri ferijs ſub horam tertiam pomeridianam Ardea cum armis & impedimentis egreſſi Galli, ad Montem Hulinium contenderunt, numero plus minus mille ducenti: ex obſidentibus vero circiter quadringenti perierunt. 23. Maij.

Fera. *Dum Albertus in hac obſidione cum exercitu hæret, Fera iam à Gallis ſeptimum menſem obſeſſa deditionem facit. Adulto enim iam vere, poſtquam per totum brumæ tempus Gallus exercitus obſidionem continuaſſet, obſeſſi poſt abſumtum omnem penè commeatum, quem Baſta menſe Martio importauerat, in certas conditiones deditionem pacti ſunt, quibus ad Cardinalem qui Ardeam tum obſidebat, tranſmiſſis, & ab eo approbatis, in agrum Cameracenſem conceſſerunt, inedia magis ac penuria quam hoſtium armis victi.* 16. Maij.

E Gallijs cum exercitu rediens victor Cardinalis illuſtriſſimus, in Flandria oppidum aliquod à regis obedientia auulſum & vnitis Ordinibus ſubiectum obſeſſurus videbatur. Oſtenda igitur metuens Mauritius Anglicano præſidio, quod in claſſem quæ poſtea Gades expugnauit fuerat impoſitum, nudatæ: quindecim ſigna lectiſſimorum militum eò mittit, magnam vim commeatuum & bellici apparatus conuehi, atq; operibus mirum in modum oppidum communiri iubet. Flandri enim, Brugenſes præſertim, & quotidianis excurſionibus vexati, & tributis hoſtilibus exhauſti, opem ab illuſtriſſimo Cardinali Alberto, cuius virtuti omnia procliuia viderant, magno ſtudio

Oſtenda. *poſtulabant. Quos ſubleuandos ratus, 18. Iunij cum exercitu ad Oſtendam peruenit, obſeſſuri ſpecie: ſed vt poſtea apparuit, alia conſilia animo voluens, repente conuerſo itinere, in Brabantiam redijt, quæque ad expeditionem neceſſaria, interea dum exercitus reficitur, procurare cœpit. Tandem diu hoſtibus eluſis, dum modo hanc modo illam obſidere velle vrbem videtur, ad Hulſtam caſtra ponit.* 18. Iulij.

Eſt

Hulsta. *Est id Flandriæ in territorio Vasensi oppidum, loci natura & operibus egregiè munitum. Præerat ei cum imperio Georgius Eberhardus Comes Solmensis, triginta militum signa, ducibus Ernesto Nassouio & Pironio secum habens. Austriacus cum vniuerso exercitu Scaldi traiecto, duo milia peditum Barlotta ductore præmittit, qui loca circumiecta occuparent, atque inprimis Clinrapum, non validissimum quidem, opportunum tamen propugnaculum, quod à triginta militibus defensum, deditionem tandem fecit. Reperta in eo duæ machinæ, quarum vsus Hispanis, dum castra muniuntur fuit percommodus. Postridiè præsidiarij ex oppido facta eruptione, post multam cædem vtrimque in vrbem reijciuntur, vulnerato ex obsessis Solmensi, cæso ex obsidentibus Iistlingo, Germanorum militum tribuno. Barlotta propinqua casæ & pomarij commoditatibus adiutus, aggerem D. Pauli occupat, statimque milites communire iubet. ibi ceterorum aduentum exspectantibus magna diu fuit commeatuum inopia, impeditis ab hoste itineribus, donèc sex milia peditum cum parte aliqua commeatus subsidio venerunt, è quibus tamen multi ab oppidanis oppressi, & tormentorum telis quæ vndique spargebantur confecti, in ipsa expeditione perierunt.* 10. Iulij.

Clinrapum.

Albertus Cardinalis non minori animo quam cœperat obsidionem continuare studens, vbi in castra venit, conuocato concilio, quid optimum factu sit perquirit. Re deliberata, cum diu varijs sententijs fuisset certatum: Ronius aggerem, qui prætenta fossa militum excubijs destinata, oppidum Murschanzæ propugnaculo connectebat, & liberum obsessis vltrò citroque commeatum præbebat, aggredi, eoque occupato, ipsum propugnaculum inuadere statuit. Ac primum lorica maioribus tormentis conuerberata, aditque patefacto, circiter quingentos ferentarios impetum facere iubet. Hi fossas ingressi, excubitorum partem occidunt, partem in fugam agunt; moxque correptis quas in eum vsum secum attulerant, ligonibus, pro se quisque stationes suas muniunt. Hæc nocte gesta.

Murschãtza.

Sequenti die qui erat XV. Calendas Augusti, post signum buccina datum tormenta maiora disploduntur, agger, quamuis fossa multisque propugnaculis munitus, tribus locis ab Hispanis inuaditur atque occupatur. Signa ibi obsessis tria erepta, & ex ijs ad ducentos desiderati. Iam Varaxius XI. tormentis Morschantzam assiduò verberabat, præsidiarijs ex tam repentina aggeris iactura vehementi metu perculsis. Hunc periculum augebat, quod ab vrbe exclusi commeatu facile se prohiberi posse, moxque diruto vallo summis viribus locum quem tenebant oppugnatum iri intelligerent. missus, ergo tympanotriba, qui conditiones quibus in deditionem recepturus eos esset Cardinalis, referret. Pacti ita vitam, relictis tormentis, signis tamen explicatis egrediuntur octingenti circiter Ordinum milites, locumque munitissimum Hispanis tradunt. Quæ res vt Ronio, cuius potissimum consilio, & Alberto Cardinali, cuius auspicijs hæc gesta sunt, magnam attulit laudem, ita in probrum & ignominiam præsidiariorum vertit; quum & deditio magna ex parte inuitis centurionibus esset facta, & auxilium in propinquo staret. Verum laudis huius fructus Ronio, qui non multo post tormentario globo ictus magno cum Alberti Cardinalis dolore, occubuit, non fuit diuturnus. 15. Cal. August.

Ei postea Cardinalis regias penè fecit exsequias, omnia ipsius debita exsoluit, vxorem viduam tribus scutatorum milibus semel, & quoad viueret trecentis aureis


Axel
HVLST


De grote Rape fort
De slinge

menstruis donauit: regali plane liberalitate homini, peregrini hominis merita compensans, aliosque ad imitandum inuitans.

Huius propugnaculi occupatio vt obsidentibus maxima commoda, ita obsessis ingentes attulit difficultates: immò omnia pane ad victoriam momenta in eo vno posita videbantur.

Iam enim liber vndique Hispanis erat commeatus, qui ad eum diem tam angustus fuerat, vt eorum quæ ad victum pertinent octuplo ferè maius esset apud obsidentes quam obsessos precium.

Iam propius ad vrbem admotis machinis Cardinalis tanta vi mœnia pulsari iussit, vt breui tempore satis magnus ad inuadendum aditus apertus fuerit: non tamen quidquam obsessi quod ad sui pertineret defensionem intermiserunt. Nam & exterioribus conuulsis prostratisque munitionibus, diu noctuque continuato opere alias excitabant, cuniculos agebant, candentes globos ferreos è ligneis machinis, quæ singulari artificio ferreis continebantur vinculis, in obsidentium castra non sine damno immittebant; magno denique animo irruentes, & per ruinas impressionem facere conantes excipiebant.

Ita dum ab vtrisque acerrime pugnatur, vtrimque multi quotidiè, nec gregarij tantum milites, verum etiam peritissimi cadunt duces, inter quos ex Hispanis fuerunt Ludouicus Manrices, Octauianus Tomasius, & Octauius Spina. Vulneratus quoque fuit Barlotta; sed breui curato vulnere conualuit; itemque Latinus Floridus, & alij. Apertis vndique muris & extremis propugnaculorum occupatis, illustrissimus Cardinalis Georgium Eberhardum Solmensem Comitem, oppido & vicinis locis ab Ordinibus vnitis cum imperio præfectum, caduceatore misso ad deditionem hortatus est: sed is respondit, non minus oppidi suæ fidei commissi defensionem sibi suisque, quam illustrissimo Cardinali & Hispanis oppugnationem curæ futuram. Et sane vt obsessis deditionem facere nondum intercluso comeatu (recentia enim è Selandia auxilia quotidie fere Nassouiani propugnaculi ad ipsas canalis fauces siti beneficio summittebantur) turpe erat; ita oppidum assilire recenti milite plenum obsidentibus dementia videbatur.

Vicit tamen omnia Cardinalis Alberti virtus ac fortuna, sic vt oppidani tandem munitionibus nudati, quum Cardinalem quiduis potius facturum quam vt ab oppido re infecta discederet animaduertissent, nec Mauritium tantis quanta ad soluendam obsidionem requirerentur copijs instructum scirent; incolumitatem vitæ ac fortunarum pacti, discesserit honestis quidem conditionibus, quæ tamen multis centurionibus, qui extrema omnia tentanda prius atque exspectanda putabant, non satis placebant.

Hoc modo Solmensis & Ernestus Nassouius Comites munitissimum oppidum, vel insulam potius, Hulstam, cum Nassouiano propugnaculo Cardinali Alberto dediderunt: in qua obsidione multi vtrimque, sed plures ex obsidentibus sunt desiderati.

Holsta

20. Augu.

LOCA. | TEMPORA.

Hulsta, non sine magna vtrimque strage capta: Ambianum præcipua Picardiæ vrbs feliciori strategemate in illustrissimi Cardinalis potestatem deuenit. Id hoc modo factum est.

Ambianum ab Hispanis strategemate occupatur.

Dorlantio præerat Hernandus Portocarera, vir quidem exiguæ staturæ, sed magni animi, militiæque gnarus. Is Gallorum quorundam consilijs adiutus, Ambianum, præcipuum Picardiæ oppidum, singulari strategemate in suam potestatem redegit. Die 11. Martij duodeuiginti milites rustico habitu indutos, manè ad portas adesse iussit, quidque ab ijs dici vellet, edocuit: ipse cum cohortibus aliquot post rudera collapsi templi non procul ab vrbe, in insidijs latebat. Nec tamen res ita celari poterat, quin rumor hostis propinqui in vrbem permanaret. 11. Martij.

Personati illi rustici, veluti diuersis itineribus venientes, à statione quæ ad portas excubabat, ecquid de Hispanorum copijs scirent, rogantur. Respondent vno ore omnes, quod edocti fuerant, quodque è re maximè videbatur. Pars plaustrum fœno onustum ducebant, pars culcos iuglandium plenos humeris ferebant.

Eorum vnus cum, veluti fortè fortuna sacco soluto nuces effudisset, iamque currus portas ita occupasset, vt claudi non possent: excubitores vrbanos nucibus legendis intentos armis, quæ sub vestibus occultata gerebant, inuadunt, quosdam obtruncant, reliquos in fugam coniiciunt.

Mox signo dato excitus Portocarera, cum suis ex insidijs prorumpit; vrbemque sub signis ingressus, munitiora loca capit, præsidijsq; firmat. Sampauli Comes, penes quem tum erat Picardiæ administratio, cum in ciuibus nec virium satis, nec voluntatis ad resistendum videret, fuga elapsus, cum alijs nonnullis, periculo sese subduxit. Ad prædam inde conuersi Hispani milites, victoriam parum ciuiliter exercent, ciues exarmant, præter paucos sibi addictos; metuque obsidionis, suburbia & pagos vicinos incendunt: omniaque ad obsidionem tolerandam necessaria, statim magna cum diligentia procurant.

Sunt qui cladem hanc ciuium vel imprudentiæ, vel pertinaciæ imputandam putent; vtpote qui toties à rege admoniti insidias sibi fieri, rogatiq;, vt præsidio sese communirent, his atq; alia causati, tam prudenti consilio vti noluerunt: cuius temeritatis grauissimas pœnas, capita spoliati, dedêre. Fuit hæc iactura Galliæ eò acerbior, quòd paulò antè rex, qui proxima æstate exercitum in Artesiæ & Hannoniæ agrum ducere constituerat, magnam vim commeatuum, vnà cum quinquaginta tormentis æneis eò præmiserat, vt inde ad omnem vsum expediri possent.


Nihil ergo cunctandum sibi ratus, Sampauli Comitem, cum Bironio, secundo statim post vrbem captam die, obsidionis initium facere iubet: atq; etiam sibi aliquid contra hostilia oppida tentandum ratus, Atrebates proficiscitur, deq; noctè pyrobolo admoto, portas effringere, & scalis muros superare aggreditur: sed irrito conatu.

Atrebates frustra à Gallis tẽtatæ.

Oppidani enim præsidiarijs coniuncti, armis arreptis, hostes iam muros scandentes propellunt atq; reijciunt. Ad Ambiani igitur obsidionem reuersi Galli magnis operibus castra communiunt, nobilitate vicina edicto conuenire iussa; omniq; ad vrbem


Gubern: van Dorlens

AMIENS *durch anschlag der Hispanischen kriegsleutt eingenomen, den 11 Martij Anno dñi 1597.*



Ambianū à Gallis obsidetur.

intercluso aditu, quadraginta quinq; machinis mœnia quatere incipiunt. Die XVII. Iulij obsessi magna vi in castra Gallorum erumpunt, & non sine cæde, vtrinq; facta, reijciuntur.

Nec verò obsidentes quicquam, quod ad oppugnationem faceret, intermittebant, sed cuniculis actis, fossisq; perductis muros subruere incipiebant. Debilitauit Hispanorum animos non parum Ducis sui Portocarera cædes, qui die III. mensis septembris, glande tormentaria traiectus, accubuit: in cuius locum suffectus est Marchio Montanegrus, Italus, cuius ille opera fideli in capienda vrbe ante fuerat vsus: sed freti auxiliorū spe, quæ aduentare dicebantur, Somonæ alueum præterlabentis obstruunt, vt circumiacentia loca inundata facilem nauibus, quibus auxilia & commeatus subveherentur, aditum præberent: quod tamen consilium qui ad obsidionem soluendam venerant aut non intellexerunt, aut certè neglexerunt.

Cum octingentis equitibus præmissi Busquoius, Burlotius, & alij XXIX. Augusti in regias copias incidunt. Acri conflictu edito, Martem iratum habuere Hispani, e quibus triginta supra centum occisi, centum & viginti capti, equi ducenti abducti: victoribus præda cesserunt. Re infeliciter gesta, Austriacus quantas potest copias contrahit, veteranos omnes euocat, præsidijs nouos milites imponit, ex Italia adductos.

Ita confecto ad XV. millia peditum, & III. millia equitum exercitu, Ambianum contendit comitantibus Petro Ernesto Mansfeldio, Francisco Mendoza, Aumalio, Arscotano, Burano & alijs. Ei in itinere se Gallus obijcit, diuq; in armis vtraq; acies stetit: sed eminus tantum tormentis pugnatum est. Vergente ad occasum sole, Austriacus Somonam ponte iungi iubet, ex illa parte obsessis opem ferre tentans. Pulsi à Gallis Hispani, Vinacurtum petunt, & loca vicina ferro flammaq; vastant. Abeuntes Gallus insecutus, Atrebatium fines ingreditur, cladem q; pari clade rependit.

Obsessi auxiliorum spe destituti de conditionibus agere incipiunt, non difficili Gallo, qui ne vrbem aliquam in confinio positam Austriacus obsideret, metuebat. Paciscuntur ergo, vt nisi inter sex dierum spatium auxilio bis mille virorum iuuarentur, vrbs regi dederetur; ea conditione vt præsidiarijs omnibus, saluis impedimentis, abire liceret: ciues etiam qui cum Hispanis contra regem in armis stetissent, in gratiam reciperentur. Ad diem igitur constitutum, cum auxilia nusquam comparerent, vrbs Gallis restituta est, & Hispani præsidiarij, pedites circiter mille & octingenti, equites sexcenti, Dorlantium deducti. Gallus, ciuium voluntati partim diffisus, partim ne quid tale in posterum accideret, prouidere cupiens, castellum in ea ædificandum curat; quo veluti habenis & exterorum, & ciuium conatus compescerentur.

Monhullinum capiunt Hispani.

Fuit hæc obsidio inter paucas memorabilis, nec armis tantum, verum etiam ingenijs & machinationibus, ad faciendas & disturbandas munitiones, summopere fuit certatum. Austriacus tamen, ne frustrà cœpta esset ea expeditio, Monhullinum, locum naturâ & opere munitissimum, medio penè inter Caletum & Bononiam maritimā spatio situm, deditione capit, quem frustra Busquoius antea, non paucis suorum desideratis, & in maxilla accepto vulnere insidijs fuerat aggressus. Recuperato Ambiano, Bullonius Luxenburgensem agrum peruadit, loca nonnulla occupat, ac firmat, eo consilio, vt viam sibi & commeatum ad Belgicas prouincias muniret.


Dum Albertus Cardinalis, tàm in Belgio quàm in Galliis prospere bellum gerit: Hispaniarum Rex valetudine indies cum ætate ingrauescente, quam vnam commodissimam arbitrabatur, pacandi Belgij rationem iniit, vt scilicet filia vnica Alberto Pontificis permissu in matrimonium tradita, Germaniam inferiorem omnē dotis ei nomine assignaret. Scriptis ergò ad Ordines literis, vt Archiduci in iis quæ expositurus ipsis esset, fidem haberent, rogauit. Regia porrò mandata per prædictas literas fidei suæ commissa Archidux Albertus Ordinibus hanc in sententiam declarauit: Christianæ Reipublicæ vniuersæ gratia, & Belgicarū prouinciarū regiæ Maiestati expedire visum esse, Serenissimæ Infantis, filiæ suæ, nuptias diutius differri nequaquam oportere, Regem verò ad familiam Austriacam conseruandam & amplificandam, aliisq; de causis eius rei nomine in se (Albertum) oculos coniecisse, beatissimo Patre pontifice auctore, regia item sorore Augusta, & Cæsare consentientibus.


Atq; vt maiore filiam suam & maritum beneficio afficiat, propensumq; in has prouincias animum suum demonstret, eas ipsi in dotem cum Burgundiæ Comitatu, & subsidium matrimonij, sine vlla exceptione conferre voluisse. Benignum hoc consilium Ordinibus gratum fore, Regi dubium non esse, vtpotè quod ad eorum omnium salutem & vtilitatē pertineat, rectamq; hanc viam esse, qua ad pacem perueniri, belloq; funestissimo imponi finis queat, quod Maiestas eius regia tantoperè exoptārit. Quod ad se quidem attineat, qui Regis beneficium in se præ cæteris Principibus eligendo reuera magni faciat, atq; eo nomine incredibili gaudio affici debeat; eò tamen maiorem hinc lætitiam se capere, quod futurum sit, vt hac occasione optimæ suæ voluntatis testimonium dare possit, & Burgundicorum ac Austriacorum, maiorum suorum vestigiis insistendo, ad salutem Belgij omnem operam conferre. Se enim has prouincias singulari iam pridem amore complecti, eiusq; à primo in eam ingressu specimen aliquod dedisse: tametsi eam in re votis suis satisfacere tempora difficilia haud permiserint. Adhæc exploratum compertumq; sibi esse, quàm insuetum onus humeris subiturus sit; verum Ordinum consilio & subsidio confisum, lætissimi, propitio Dei numine, successus spem quasi certam animo concepisse.

Has deniq; prouincias pristinæ amplitudini, prosperitati & splendori, quo olim maiorum æuo floruerunt, restitutas se visurum, & ciues per specto Infantis Serenissimæ suoq; in eas animo, parem beneuolentiam ipsis præstituros, qua inclytos suarum Celsitudinum maiores, auos proauosq; ipsarum sint complexi. His intellectis petunt diem ampliari Ordines, quo seorsim deliberent: in præsens verò respondent, se incredibilem lætitiam percepisse ex benigno regiæ Maiestatis consilio, quod vt ad Dei gloriam, in rem Archiducum, ad quietem cedat & salutem Belgij, votis conceptis precari.

Paulò pòst Clementis VIII. Pontificis Maximi interuentu pax Veruini inter Hispaniarum & Galliarum Reges magno totius orbis gaudio confecta fuit: cuius conditiones alibi descriptæ extant.

Ita Albertus in Hispaniam iter instituit eo consilio, vt Margaretam Archiducis Caroli filiam Philippo Hispaniarum Principi desponsatam deduceret, ibiq; geminis celebratis nuptiis, suam inde sponsam Infantem in Belgium transportaret. Hunc in ipso penè itineris procinctu nuncius de morte Regis oppressit, qui XIII. Septembris in Villa


B. PHIL. REGIS. HISP. GENER. INAVGVRANDVS


ALBERTVS AVSTRIACVS D. G. BELG. PR.

Escuriali supremo fato functus erat, Princeps non Europæ tantũ, verumetiam totius orbis ferè potentissimus; Religionis patriæ tàm tenax, vt ditiones suas, præsertim quæ in Belgio sunt, omni bellorum clade deformatas videre mallet, quàm pullulantibus in iis nouis opinionibus crescendi dare copiam.

Sed de hoc tanto Rege ac Monarcha silere præstat, quàm pauca dicere. Nihilominus progrediendum sibi ratus Albertus Archidux per agrum Luxenburgensem, Treuirensem, Palatinum, VVirtenbergicum, in Bauariæ fines, inde in Tirolensem Comitatum peruenit, quacunq; transiuerat munificè hospitaliterq; exceptus. Oenipontem transfectus & aliquot milia progressus, Margareta Austriaca, quam Philippo III. Hispaniarum iam Regi desponsam diximus, occurrit, quæ cum matre è familia Bauarica & quingentorum hominum comitatu è Pannonia superiore venerat.

Hinc Tridentum peruenerunt, atq; inde per Venetorum ditionem honorificè deducti Ferrariam, vbi Pontifex erat, pompa regali ingressi sunt: vbi dictus Pontifex prælecto publicè mandati instrumento quod à Rege Catholico archiduci datũ erat; matrimonium inter Regem Philippum per Albertum auunculum legitimumq; eius nomine comparentem, & reginam Margaretam præsentem celebrauit: cui ad solium reductæ omnes Principes auspicatissimas nuptias reuerenter sunt gratulati. Subsistit coram Pontifice Archidux Albertus dum Sessæ Dux accederet, qui cum simili mandato Infantis serenissimæ nomine comparebat: quo lecto Isabella Clara Eugenia per legatum suum Alberto Archiduci per Pontificem desponsatur. Paucis diebus per summã lætitiam Ferrariæ transactis, Mantuam inde contenderũt, vbi à Principe suprà quàm dici potest, magnificè excepti, Mediolanum porrò profecti sunt, vbi cum duobus circiter mensibus substitissent Regis mandatum ex Hispaniis & opportunam anni aurisq; ad nauigandum temperiem expectantes, tandem III. Nonas Februarias, per Ticinum facto itinere Genuam contenderunt.

Vtrobiq; magnificè splendideq; excepti; ad XII. Calendas Martii triremes conscendunt, & classem ad portum Sauonensem appellunt, vbi aliquot dies ob aduersam tempestatem commorati, Ligustici litoris oram legunt, Naulum, Finarium, Bargetum, Albingaunum, portum Mauritii, diui Remis fanum, vallem Oneliam, villam Francam, siue portum Herculis Monœci, & Nicæam, Genuensis ditionis oppida prætemauigant; tandemq; ad portum Massiliæ ancoris iactis subsistunt. Dux Guisius, prouinciæ Narbonensi præfectus Galliæ Regis nomine quæuis officia, cum beneuolentia & obseruantia, quanta potuit maxima, reginæ obtulit & præstitit, & classem commeatu iuuit ac recreauit. Regina è sua naui non descendit, nisi vt rei diuinæ, quæ sub positis quotidie in litore tabernaculis fiebat, interesset. Archidux Albertus cum duabus triremibus Massiliam profectus est, ibiq; visitatis Sanctorum reliquiis, ad suos est reuersus. Decimo tertio Calendas Aprilis, sinu Narbonensi traiecto, in portum Colibrensem (veteribus fortasse Illiberis; Ceruariam tamen Nebrissensis putat) sunt relati.

Inde maritimam oram Tarraconensis Hispaniæ legentes, Rhodam portum, Lunarium promontorium, ipsam deniq; Barcinonem celeri remigio prætervecti, in portu constiterunt, vbi nobilissimus Hispaniæ fluuius Iberus duplici ostio in mediterraneum se exonerans mare, insulam efficit & portum qui ad similitudinem Africanæ Rustia olim nomine, Alfaques vulgo dicitur.

Hinc

Hinc Valentiæ regni fines attigerunt: iamq́; peracto cursu, in portu Binaros, vt Hispani indigetant, regina descendit: missusq́; ad Regem principis Auriæ filius, qui de secunda nauigatione & aduentu certiorem faceret. Pridie Calendas aprilis, terrestri itinere ad diui Matthæi fanum perrexerunt: quo in loco, eodem tempore Dianij, siue Deniæ vulgò, Marchio superuenit, & regina reuerenter salutata Regis exposuit mandata. Vnde ad Gabannas, tum ad Villam regalem (locorum sunt nomina) progreßi, regina cum matre ad Sagunti ruinas, vbi nunc Moruedre vicus est, iter instituit: Archidux Albertus eſſedo expedito ad Regem sponsamq́; suam Infantem complectendos perrexit: inde Madricū ad visitandam matrem Augustam profectus, quatriduumq́; ibi commoratus, Valentiam reuertitur. Rex intereà sponsa sua videndæ miro quodam desiderio incensus, assumto equitis habitu, Regis nomine ad salutandam Reginam mißi, ad eam se confert, vbi à matronis nobilißimis, quas tum in suo comitatu Regina habebat, agnitus, incredibili cum omnium lætitia & plausu excipitur.

Interea Valentiæ ad regias nuptias celebrandas maximi & incredibiles fiebant apparatus: quibus perfectis, decimo quarto Calendas Maij, Regina solemnem introitum Valentiæ fecit, regali verè cultu & magnificentiâ, ac tanta principum & nobilium, qui è diuersis nationibus eò confluxerant, frequentia, tam ingenti satellitum & ministrorum caterua, vt iusti exercitus numerum adæquaret. Ad pompæ dignitatem vestium splendor sumtusq́; accedebat, ac par omnium elegantia, vt non modò colorum varietas, sed radiantis auri fulgor oculos perstringeret. Quinq́; turmæ equestres totum agmen ducebant: tum triginta equites tympanistæ, cum buccinatoribus & regijs tubicinibus per vices alternas sonitu omnia implentibus. Sequebantur, nulla ordinis prærogatiua, aulici generisq́; amplitudine clarißimi quadringenti, equis vestibusq́; excultißimi. Famuli omnibus erant, his sex, illis octo, his duodecim, illis viginti, nonnullis viginti quatuor, & plures, amictu omnes diuersi coloris splendidißimo. Pratum dixisses mense Maio varijs florum generibus exornatum. Septingenti habitum reginæ coloresq́; gestabant ex flauo, rubro & albo holoserico ferè omnes.

Post equites quatuor corynephori, tum reginæ oeconomi, atq́; ex Hispaniæ magnatibus sedecim, deinde caduceatores, cum regijs insignibus in veste acu depictis, tum magnus oeconomus, posteà stabuli præfectus pedibus incedebat. Regina gradario candido vehebatur sub vmbella aurea, quæ à Valentianis viginti nobilißimis gestabatur: equum sericis aureisq́; funiculis seu habenis Valentiæ proceres totidem, pari vtrinq́; numero ducebant.

Vestis Reginæ ex auro erat & argento contexta, vnionibus & gemmis preciosißimis conserta, vt nihil ad ornatum cultumq́; addi amplius potuerit. Sequebantur Archiduces, mater & Albertus cum Reginæ gynæceo, adequitantibus nobilibus item viris. Rhedæ & carpenta, sex vel quatuor equis singula iuncta, quæ clarißimas genere mulieres vehebant, extremum agmen claudebant. In hanc pompam, quâ splendidiorem à nemine nunquam visam aut descriptam quidam perhibent, dicuntur insumta tricies centena coronatorum millia. Portam arcu triumphali splendidißimè exornatam transgressa regina, ad templum deducitur, tapetibus & aulæis, pretio & arte exquisitißimis vndiq́; præfulgens.


AND.ZELAD.NAMVR.ZVTPHA.MARCH.S.IMP.DOM.FRIS.SALT.MACHLI.CO.CIVITAT.ET PROVI.VLTRAIECT.ET TRANISVLAN.


ISABELLA CLARA EVGENIA INFANS HISPAN DVCIS BVRG. BRAB. LIMB. LVXENB. COM. FLAND. ARTES PALAT. HANNON. HOL
GENERIS
VS

Summum altare instructum erat, vt vno verbo dicam, regio planè apparatu: ante quod editior puluinus aureis pannis instratus, trium hominum capax, alius item quinque flectendis genibus percommodus, cernebatur. Eò se regina contulit, quum primùm crucem, reliquijs insignem, esset exosculata, à Patriarcha Archiepiscopo Valentiano, porrectam. Quum autem regia eò Maiestas cum Infante serenissima per scalam secretam descendissent: Nuncius Apostolicus post solennes caeremonias Regem primum, deinde Archiducem interrogat, vtrum matrimonia per Legatos suos contracta, & à Pontifice Maximo iam celebrata, rata haberent. Quum vterq; annuisset, omnes simul ad altare accedunt, genibusq; flexu, dum preces decantantur, coniugium coniunximant. Discessum est inde ad palatium, vbi nuptialis festiuitas quanta potuit fieri magnificentia, peracta est, & producta in dies octo, nullo genere spectaculorum quibus animi recreantur praetermisso. Extructum ibidem erat theatrum, hominum sexaginta millium capax, spectandis ludis opportunum, tauri puta venatione, ac notiua cannarum, Afrorum more, eiaculatione, equestribus etiam certaminibus, & si quod aliud est ludorum genus, quod Hispani in delicijs habent. Octauo spectaculorum die Rex Albertum Archiducem, aliosq; duos principes viros aurei velleris creat equites.

Infans & Albertus in Belgicum proficiscuntur.

Pridiè Idus Maias vniuersa pompa Barcinonem traducitur: ibiq; regno vterq; inaugurantur. Albertus verò & Infans de rerum Belgicarum statu solliciti, à regibus beneuolè humaniterq; dimissi, ad prouincias suas magna celeritate contendunt, ac septimo Idus Iunias omnibus ad nauigationem paratis, Barcinone soluunt, & Tarraconense litus praeteruecti, traiecto sinu Narbonensi oramq; Liguriae legentes, in portum Genuensem paucis diebus appellunt: à cuius ciuitatis Duce Laurentio Sauli in Grimaldi mortui locum nuper suffecto, & reliquis magistratibus, multis cum honoribus excepti, omnibusq; officijs, quoad ibi substiterunt, culti fuerunt, vt & Ticini, ac imprimis Mediolani, vbi praeter oblectamenta quamplurima, quicquid arte elaboratum in omnibus officinis reperiebatur, palàm eis per vrbem vectis spectandum fuit expositum. Relicta Italia, per Heluetiorum fines profecti, superatis celsissimis Apennini iugis, Lucernam primum, Basileam inde perueniunt; vbi pro more gentis comiter excepti, & boue auenaq; donati, in Burgundiam iter deflectere decreuerant: sed rebus Belgicis aduentum eorum quàm maturrimum flagitantibus, per Alsatiam, Lotharingiam, agrumq; Luxenburgensem, Namurcum tandem sunt ingressi, ibiq; dies aliquot discutiendis longinqui itineris molestijs dederunt.

Certamina ludicra.

Inter alia, duo certamina ludicra eius loci iuuentus Principibus spectatoribus exhibuit, vnum grallatorium, alterum nauale. Grallatorum paria magno hinc inde numero sunt producta, qui furculis ad perticas longiusculas alligatis, altè insistebant, Aegipanas imitati: graduq; citatissimo in se mutuo incurrentes, corpora collidebant: deiecti plausum turbae clamoremq; prouocabant: quemadmodum in nauiculis quoque aduerso remigio velocissimè concurrentes spectaculi voluptatem reddebant auctiorem, quò frequentiores in scapha puppi stantes certatores excussi, in aquas prolaberentur, omniumq; in se ora risumq; conuerterent. Ad Brabantiae fines Ducibus praestò fuerunt Ordinum eius prouinciae legati, cum magno honestissimoq; comitatu: qui Principibus aduentum gratulati, Hallam eos, inde Bruxellam deduxerunt. Hallam ad eos venit Cardinalis Andreas Austriacus; ibiq; praefectura quam Alberto absente gesserat, abdicata, paulo pòst in Germaniam est reuersus.

Hactenus illustrißimum Archiducem ad regias nuptias in Hispanias properantem, cumq; serenißima Sponsa & coniuge in Belgium reuersum, comitati sumus; iam à nuptialibus organis ad Martialia redeundum nobis est, & bellis in Belgio successus breuiter explicandus.

Profecto Archiduce Admirans Aragonius Reinberecam & Dotecomum expugnauit. inde militi hiberna in solo Cliuensi & VVestphalia constituit, inuitis admodum Germaniæ principibus, qui coacto exercitu Rasam ab Hispano milite fortißimè repulsi frustrà tentârunt.

Cum verò res ad maiorem aliquem motum spectaret, ineunte vere Andreas Austriacus Cardinalis, qui absentis Archiducis vices gesserat, Germanorum precibus fatigatus, militem ex hibernis educi iubet: ipse Antverpiæ, Gandaui, Liræ præsidiarijs, qui iam diu tumultuati fuerant, multumq; mali, sed plus terroris ciuibus fecerant, stipendia persoluit, exauctoratosq; & infamia notatos, dimittit: inde Traiectū ad Mosam magnum apparatum conuehi iubet: cumq; militiæ ducibus, Admirante, Arscotano, Vambergio, Velasco deliberat, qua potißimum in hosticum esset irruptio facienda. Admiranti in Grauenverdam, propugnaculum in ipso Vahalis & Rheni diuortio positum, primum impetum fieri placebat, quo expugnato, facilem sibi victoriarum cursum promittebat: alij verò aliâ hostem inuadendum censebant.

Scheneki-anum propugnaculum.

Nam & loci eius oppugnationem multa difficilem reddebant: cumprimis, quod eâ anni tempestate flumen niuibus solutis auctum valdè excrescere solet, & omnia longè lateq; inundare. Mißi ergò, in alpibus parum niuis esse referunt, neq; diluuium timendum. Sed Austriacus Bommeliam obsidere relicta Grauenverdâ decrêrat. Exercitus omnis ad Rasam Cliuiæ oppidum (vbi Admirans hibernauerat) conuenire iussus, inde Embricam versus descendit: vbi per pontem à ciuibus exstructum, copiarum parte traducta, ab vtroq; latere, hinc cis Vahalim, inde cis Rhenum, castra, obsidentium specie, metatur. Interim Grauiæ pontones, & reliquus naualis apparatus magno studio præparantur.

Præsidiarij ad primum Hispanorum aduentum ad sui defensionem impigrè se comparant, & maioribus minoribusq; tormentis non paucos interficiunt: adeò vt iam tum facilè appareret, quantum difficultatis eius loci habitura esset oppugnatio. Mauricius intereà Dusburgi in omnem euentum intentus, vtriusq; fluminis, Vahalis & Rheni ripas diligenter munit; deq; Grauenverdæ obsidione certior factus, suis mox præsidio accurrit.

Bommelia.

Sed iam Barlotta, Stanleus, & Sapena, chiliarchæ præmißi Mosam ponte iunxerant. Verùm vt melius omnia intelligantur, locorum eorum situm paucis describemus. Bommelia insula est, quam Mosa & Vahalis, hic è Germania, ille è Gallijs decurrens, efficiunt. Mosa enim ad Varuicum pagum Vahali miscetur: ibiq; paruam aliam insulam, Teruoram nomine, circumluit: sed hic velut diuortio facto, vterq; separatis alueis feruntur, donec ad Vorcomum oppidum rursus commiscentur.

Quod eo diuortio comprehenditur terra, Bommelia appellatur. pagos habet multos, vrbem vnam ad Vahalis ripam, naturâ & opere munitam.

Tota pascuis & agris fecunda est. Teruoram, quæ ad caput eius est exigua insula, vt diximus, iamdudum Ordines confœderati propugnaculo satis firmo munierant, cui,


Tielt
DE B E
T I
W E
Wijc te duestede
Buere
Staten
Culen burgh
Vtrecht
Asperen
Montfort
Gorichem


Worcum

vt & loco, Teruorae nomen. Ad hoc occupandum Stanlaeus missus, operam lusit. Sapena & Barlotta, expugnato ad alteram Mosae ripam Crepacordio, non magni nominis propugnaculo, sed Buscoducensibus valdè infesto, insulam ingrediuntur.

Duo erant ibi aggeres, tenentibus valdè opportuni. Eos quò minus statim occuparint Hispani, quibus id mandatum fuerat, noctis effecit obscuritas, quae tamen in re non maxima (quamquam in bello nihil non magnum haberi debet) negligentia multum eis posteà nocuit. Mauritius, hostis itinere explorato, & ipse ad eundem contendit locum, & ponte Vahali imposito, cum magna exercitus sui parte in Insulam traiicit. Dici non potest, quanta fuerit ciuium primùm trepidatio, inde fuga etiam: sed Mauritij aduentu recreati, animum resumunt. Ruinis murorum, quà noua nuper aedificari coepta erant propugnacula, neq; dum perfecta, incredibili celeritate restauratis, tormentisq; quae aduexerat, dispositis, Mauritius ante moenia castra ponit, operibusq; mirum in modum munit: sic vt vrbem oppugnanti, castra vrbi praetenta, prius expugnanda essent.

Vtrimq; multi conatus suscepti, vario euentu, modò his, modò illis felices, ijs tamen qui vtrimq; cadebant (nec verò pauci erant) semper nimis quam infelices. Ceciderunt multi, in his magni nominis Alfonsus Daualus, dum in hostiles munitiones ingressus, non sine multa suorum caede eisdem expellitur: itemq; Asticurtius, dum nebulae beneficio Nassouiani & ipsi hostilia castra peruadunt, nec minus fortiter reijciuntur.

Multa impedimenta Hispanorum rebus pulueris tormentarij caeterorumq; bellicorum commeatuũ afferebat inopia, quibus hostes abundè instructi, magnam quotidiè non vilium tantum animarum, verum etiam fortissimorum militum edebant stragem. Cardinalis igitur rei frumentariae & pecuniariae caussa Buscoducum profectus, Fridericum Comitem Vambergium Rasam mittit, & quae ad bellum necessaria relicta ibi erant, in castra adducere iubet. Is non sine periculo, quod multa loca vicina qua transeundum erat, hostili praesidio tenerentur, duobus peditum millibus, & sedecim equitum turmis comitatus, tormenta sex maiora & ducentos currus puluere onustos aduexit: cumq; eo vnà in castra venit Marchio BVRGAVIVS, Cardinalis frater.

Iam Archiducis exercitus valdè erat accisus, quod multos quotidiè non tantum vis Martis percelleret, sed milites etiam dilapsi signa infrequentia relinquerent. Cardinalis igitur Duci Arscotano, Margrauio Antuerpiensi, & Comiti Embdano negocium dat, vt nouum militem è Valonibus, Belgis, Germanis conscribant.

Dum ad Bommeliam ita desidetur, graues simultates inter Admirantem & rei tormentariae praefectum, itemq; Barlottam, & chiliarchas nonnullos Hispanos extiterunt, frustrà dissidia componere annitente Cardinali.

Inde factum est, vt vix quicquam in commune consuleretur, nec imperia ritè administrarentur, nec, vt oportebat, obirentur.

Milites praeterea, multarum rerum penuria confecti, & ad omnem hostis impetum expositi, vix à seditione poterant contineri, ij praesertim, qui vt praedae spe ad quoduis facinus vltrò peruolant; ita eâ destituti, omne imperium quantumuis iustum, detrectant. Accedebat hostis in propinquo, ad resistendum parati viri, quem profligari posse, eo rerum statu exigua spes erat.

Iam supra duo millia in castris occisa numerabantur, præter fugitiuos, transfugas, vulneratos & ægris vicina omnia xenodochia & nosocomia erant referta: sic vt multi obsidionem soluendam esse censerent. Consilio super ea re coacto, dum alius aliud censet, transfuga Germanus metator ad Cardinalem venit, locumq; castello ædificando valdè opportunum commonstrat, quo vtriusq; fluminis nauigatio impediri, vicinisq; locis omnibus veluti compedes inijci possent.

Cum hoc, quod non absurda ducere videretur, missi qui loci situm diligenter explorarent, referunt, & vtilem fore, nec omninò rem esse difficilem. Cardinalis igitur ipse cum nonnullis magnæ experientiæ viris ad inspiciendum locum profectus, consilium probat, operisq; initium quàm primùm fieri iubet. Præsidijs igitur vndiq; dispositis, ne ab hostibus quid damni acciperetur, obsidionem soluit. Ad hostis discessum Mauritius omnia tormenta displodi iubet, tanto cum fragore, vt cælum ac terra ruere viderentur; hostiumq; cognito consilio, suas ex aduerso copias opponit, & Vahalis ripam, qui intermedius fluebat, multis operibus munit: ipse ad Teruoram, vbi breuissimus erat ad hostium castra transitus, considet.

Intra tertium vel quartum lapidem ab eo loco, vbi castello regio ædificando iacta erant fundamenta, Heruarda vicus est ignobilis. eum rebus suis commodum ratus, Mauritius lorica & fossa cingit. Ad hunc conatum impediendum Hispani animosè magis quàm prudenter conferto agmine se inferunt; sed & conferti cadunt, missilibus, quæ tam è munitionibus quàm nauibus præsidiarijs confertim iaciebantur, confecti.

Inter alios non paucos perijt eo in conflictu Paciottus, vir admirabili quodam ingenio, & magno animi robore præditus, planeq; tanto patre, (cuius celebre hodieq; nomen ob descriptam ab eo castelli Antuerpiensis formam) dignus filius. Cætera minutatim exsequi non est animus: ne Diarium, non Historiam conscribere videamur.

Illud certè verè affirmauerim, nullum penè diem præterijsse, in quo non vel à gregarijs militibus magnum aliquod & planè militare facinus sit patratum: & tàm hos quàm illos, quali cum hoste sibi res esset, sensisse. Fecit ea res vt fortalitij exædificationem Austriacus quantum poterat, maturaret. Vtq; omnia non augustiora tantum viderentur, verum etiam prosperè succederent: multis cum cæremonijs vt mos habet, fundamentum ipse sua manu ponit. Ad hanc solennem actionem inuitati aderãt, Burgauius & Mauritius Saxo: quos aduenientes vniuersus exercitus horribili tormentorum strepitu, verùm ne puluis inutiliter consumeretur, maioribus omnibus machinis globis ferreis inditis, hostem vna eademq; opera salutat: qui credo ne parum gratus aut ciuilis haberetur, multo cum fenore gratias regessit: sed vtrimq; tantùm non irrita vota cecidére: quod iamdiu ad istas res omnia prouisa essent.

Inde castello nomen S. Andreæ impositum, idq; Cardinalis honori datum, qui vt commune nomen gerebat, ita Diuum illum singulari veneratione prosequebatur. E propugnaculis (quorum bina Mosam, bina Vahalim, quintum Bommelam oppidum spectabat) Austriæ primum, secundum Burgauia, tertium Saxonia, Aragonia quartum, quintum Velasco, de principum nominibus appellata fuerunt. Finitis cæremonijs, quibus non interfuit tantum, sed præfuit etiam Octauius Frangipanis, Apostolicus in Belgio Legatus, in Admirantis tentorium pransum concedunt; non sine grandi vitæ periculo. Cum enim iuncti equitarent, duo hostilibus tormentis excussi globi, equorum alter penè capita strinxerat, alter in solum incidens, puluere & terra proximos consperserat.

Sequentibus diebus aliquot leues conflictus miscebantur, modò his, modò illis victo-


Ostende.
Nieuporten



ribus, ambigua etiam sæpè victoria, quum vtrinq; caderent non pauci. Multa etiam atrocia commissa sunt prælia, adeò vt eductis nonnunquam penè omnibus copijs, de summa rei decertatum iri videretur: sed periculi magnitudo, victis certò imminentis animos, quamuis pugnandi auidissimos, continebat. Nassouiani quidem omnibus viribus ædificantes impedire conabantur, sed frustra, nihil ad summam diligentiam reliquum facientibus Hispanis; adeoq; nec vitæ parcentibus, dum sibi hibernandi in hostico locum pararent: quibus tamen Hollandi ita iam tum illudebant, vt dicerent, multum se eis debere, qui tantis impensis, tantis laboribus, tam egregiam in ipsorum solo exstruerent arcem, quam rebus omnibus instructam, paucos post menses, ipsis essent tradituri.

Quod tum ioco dictum atq; acceptum, augurium fuisse, paulò post euentus comprobauit. Quod eò dicimus, vt voces etiam temerè iactas non negligendas esse interdum, moneamus. Sed præsentibus plerunq; homines, futurorum securi, fidere solent, & icti demum sapiunt, immò sæpè ne icti quidem.

Louaniū. Serenissimi Archiduces Albertus & Isabella cum Bruxellæ aliquandiu commorati essent, VIII. Calendas Decembris Louanium magna ciuium gratulatione ingrediuntur, & sequenti die qui D. Catharinæ festus erat, Ordinibus solemne præstant, & ab ijsdem accipiunt iuramentum. Quæ omnia quibus cæremonijs sint peracta, cum peculiari libro perscriptum extet, hic omitto. Illud verò tacitus præterire nullo modo possum, quod ad Serenissimorum principum laudem vel imprimis pertinere puto. 8. Cal. Dec.

Quid illud est, inquis? quod ipsi (at qui principes!) auditoria inire & disputationibus interesse voluerunt. Rarum exemplum, & eò in his admirabilius quod ad prouincias bellico tumultu perstrepentes, regendas venerunt: vbi quis locus Musis! sed est profectò: eademq; studiorum est, quæ belli præses Minerua: & parum prospera sunt arma foris, nisi consilium sit domi. Verum tamen est; fortunam in bello sæpè plus posse, quàm consilium: quod hac ipsa hieme serenissimus Archidux non sine damno est expertus. Milites enim vndiq; ob non soluta stipendia tumultuabantur, adeò, vt Santandreani propugnaculi nuper exstructi præsidium à Mauritio obsessum turpi precio deditionem pactum sit. quo successu idem animatus, imposito in classem bis mille nauium exercitu XXII. Iunij Vlissingâ soluit tenuitq; circa meridiem Flandriæ oram inter vicum Assenedam & portum Gandauensem (Saßam vulgò) ad Philippinam munimentum, quod ab ipsa classis fronte facile fuit occupatum. ibi expedito in terram milite nauibusq; remissis exercitum lustrat Nassouius, in quo erant equitum duo, peditum octo supra decem millia.

Postridie euersa Philippina datisq; militi in dies sex cibarijs, Assenedam instructo agmine contendit, & inde ad vicum Eckeloum: inde circumducto ad vrbem Brugas exercitu, Audeburgum versus, quod à præsidiarijs desertum vnà cum munimento Bredendiccio Nassouianis patuit.

Hollandorum nauibus vltrò citroq; commeantibus, multum damni dedit Augustinus Spinola, qui cum biremibus suis & nauigijs è portu Slusensi egressus vna atq; eadem vice viginti hostiles naues capit, quarum partem incendio absumsit, partim remulco abstraxit. Hollandorum iussu iam antè literæ typis excusæ, & per Flandriam & Brabantiam sparsæ fuerant, quibus subditi ad rebellionem incitabantur.

Harum exemplum cum ad Brugenses quoq; missum esset, machinis illi responderunt. Aratores & rustici, quacunq; ibat exercitus, iam antè diffugerant, asportatis secum rebus omnibus: Vnde magna in Nassouiano exercitu alimoniæ orta est inopia, sed maximè potus, adeò, vt è lacunis & paludibus putrem aquam æstu diffluens miles hau-

les hauriret. Sic ergo non sine magnis difficultatibus XXVIII. Ostendam peruentum est, inde refecto aliquantum milite Neoportum: vbi occupato vrbis portu expugnatisq; castellis ac munimentis excitatis Mauritius in vtraq; ripa castra metatus est. Serenissimi Archiduces vbi appulsos Nassouianos obsessumq; Neoportum acceperunt, metuentes ora maritimæ omni studio hostes vel finibus exigere aut saltem effusum impetum eorum sistere & Flandriæ periclitanti subuenire studuerunt; quin & magni aliquid gerendi data videbatur occasio. In medio hostium Nassouianos, procul à suis illinc Oceano, hinc vrbibus hostilibus inclusos. Posse eos interclusis itineribus Ostendanis, si non obrui, certè inedia obsumi. Bruxella igitur Archidux Gandauum profectus tribunos aliquot militum in Geldriæ finibus agentes cum septem equitum peditumq; millibus magnis itineribus in Flandriam contendere iubet; præsidiarios & quicquid vbiq; virium ex vrbibus euocat: quin & Hispanorum militum seditionem, numerata aliqua pecuniæ parte, multis promissis, præter Nassouij opinionem sedauit, & precibus atq; obtestationibus tandem euicit apud eos, vt exirent in bellum, nec Flandriam florentissimam prouinciam, suis seditionibus hosti turpiter proderent. Ità factum, vt breui satis magnum exercitum confecerit: quem XXIX. Iunij non procul Gandauo recensuit. Ibi Isabella, cuius auctoritas plurimum ad exciendos sedibus suis tumultuantes potuit, conuocatis tribunis, chiliarchis & centurionibus, Magna, inquit, me spes tenet, fortissimi milites, rem hodiè à vobis benè gestum iri. Nam præterquam quod Deus ipse caussæ nostræ fauet, vtpotè quæ pro Catholicæ religionis defensione est suscepta: virtuti quoq; vestræ omnia facilia mihi promitto. Reuocate vobis in memoriam tot & tantas victorias, tot prælia feliciter pugnata, sed in primis illud, quod arma feratis, ad propugnandam fidem Catholicam, ad tuendam iustissimam regis fratris mei, Archiducis mariti & meam ipsius caussam: qui omnes huius beneficij, quod hodie à vobis exspectant, haud dubiè perpetuam memoriam conseruabunt. Ad me quod attinet, illud persuasum vobis habete, in ijs omnibus quæ nostro nomine Comes Seram & Augustinus Herera vobis sunt polliciti, ad assem vobis satisfactum iri: atq; adeò potius omnem me mundam, atq; hanc ipsam etiam inaurem, quam videtis, pignori opposituram, quam committam, vt vanis promissis vos induxisse videar. Et sane cum specto hanc vestram alacritatem & fidem: lubenter obliuiscor omnium laborum & solicitudinum, quibus hactenus, nuper maximè, nos affecistis. Ite modò, & cum Deo bene iuuante, contra ipsius & nostros hostes, strenuè rem gerite. Hanc Infantis orationē, vultu ad grauitatem simul & modestiam composito prolatam, magno clamore acceperunt milites: mox displosis tormentis, magnam alacritatis dederunt significationem, ità vt facilè appareret, eos aut cum victoria redire, aut fortiter pugnando mori velle. Et illa quidem Gandauum discessit: Archidux verò postridiè Brugas exercitum, & Calendis Iulijs Audenburgum ducit, cui præsidio relictæ erant cohortes aliquot Selandicæ, quæ facta deditione cum armis incolumes discesserunt. Itum deniq; ad munimentum Snaskercanum, quod præsidio tenebant cohortes duæ legionis Scoticæ, quæ incolumitatem pacta seditiosorum furorem effugere non potuerunt. Hispani enim & seditionis culpam magno aliquo facinore & hostium sanguine eluere cupiebant, & cæteris hac ratione timorem se incussuros arbitrabantur. Secundo Iulij ad Leffingam Hispani profecti sunt, inde rectà ad mare fusis fugatisq; quas Ernestus Nassouius ad iter custodiendum adduxerat copijs. & duobus bellicis tormentis, & signis aliquot militaribus ereptis. Clade hac accepta Mauritius è castris suos in campum educit: cum interim circiter horam vndecimam antemeridianam prima Hispanorum acies apparuit. In fronte Hispani collocati erant, interq; eos seditiosi omnes sub vexillo vno, milites veterani atq; exercitatissimi, sub tribunis Gaspare Sapena, Hieronymo Mon-



Eigentliche abcontrafactur der Seestat Oostende, sampt der belegerung

1. Leger des Ertzhertzogen an der West seiten von der Stat, mit vngeferlich acht regiment knechtē, vnd ein gute anzal grobes geschütz
2. Auff der Ost seiten, auff vnd zwischen den sandtbergen das leger von Graff Fridrich von dem Berg, mit etlichen regiment knechten

Vnd ein anzal grobes ge
3. Ein halber Mon welchen de
4. Galeren vnd kriegsschiff de
5. Auffleger oder kriegsschiff



des Ertzhertzogen ALBERTI. Anno. 1601.

Coronell ... in hat ... begraben helt,
Ertzhertzogen ... der Stat.
... Staten.

roio & Ludouico Villarsio: in media acie VVallones & Itali, ductoribus Alfonso D. ualo, Barlotta & Bastoco Anglo: in extrema acie, Germani & Belgæ miscellanei sub comite Buquoio & alijs. Præter hos quatuor peditum millia ad transitum fluminis non procul à pago Leffinga custodiendum fuerant relicta, legiones scilicet Vambergij, Barlemontij & Varambonij, vbi vtraq; acies instructa stetit, nullam dimicandi moram faciunt. Et primo quidem impetu Archiducis equitatus tormentis à Mauritio prudenter dispositis disturbatus, inter tumulos arenarum sese recepit, suisq; terrorem non mediocrem iniecit. Diu anceps hic peditum fuit pugna, quam equidem nemo facile descripserit, quod inter arenarum colles singula plerumq; cohortes cum singulis, prout quaq; in aliã inciderat, depugnarent. Pedites Hispani in Anglos fortissime irruunt, quos ipsi non modò excipiunt, verum etiam agunt in fugam cornibus nudatos: mox tamen ijdem resumtis animis Anglos Frisiosq; retroagunt, reciprocante aliquoties victoria. Iam tota acie pugnabatur, cum equites Nassouiani in fugam compelluntur. tum verò malè se habere res Nassouiana, fluctuare tota acies; quin & Frisij dare se in fugam, Frisijsq; destituti Angli. Sed Mauritij obequitantis singulosq; obtestantis industria breui acies restituta est. Ex aduerso Archidux & ipse obequitans non minus factis ac verbis suos ad pugnam exhortabatur: sed pedites equitatu destituti, superante etiam hostium multitudine, Nassouiorum à lateribus incurrentium vim non sustinuerunt. Archidux inclinatam aciem cernens, quantum potest integris ordinibus retrocessit, quibus mox hostium pertinacia solutis, omnia fuga & terroris sunt repleta, atq; inde non pugna sed cædes fuit. Parem ferè nonnulli scribunt vtrinq; cæsorum fuisse numerum, sed ex Archiducis exercitu nobilissimus quisq; & manu promtissimus fuit desideratus. Inter captiuos, qui sanè illustri loco nati non pauci erant, fuit Franciscus Mendoza Aragoniæ Admirans, è vulneratis ipse Archidux fuit, qui Brugas celeriter se recepit, & inde scriptis ad ordines Bruxellam literis res gesta ordinem exposuit. Etsi verò cladem non mediocrem senserat, nihil tamen de solita animi magnitudine remittens, missis in omnes partes internuncijs nutantia præsidia confirmat, Neoportanis auxilia submittit, aliaq; omnia, quæ ad vlteriorem hostium sistendum progressum pertinebant magna diligentia comparat. Mauritius exacta ea nocte in loco vbi prælium commissum erat, exercitum Ostendam versus reduxit, inde in castra ad Neoportum reuersus est: sed desperata oppidi expugnatione Isabella munimentum itidem frustrà obsedit. Cum verò Archidux nouum exercitum colligere diceretur decimo sexto Iulij instrumentum omne militare & castrense in naues imposuit, & paucis diebus post in Selandiam rursus traiecit.

Ostenda. Sequenti anno Ostendanum cœpit obsidium, quo vix illum memorabilius literarum monumentis consignatum reperitur. Est id oppidum Flandriæ maritimum, tribus miliaribus Nuporto, & quatuor horarum itinere Brugis distans. Pagus primum fuit, piscatoribus inhabitatus; sed initio huius belli ciuilis ab Ordinibus, loci secutis opportunitatem, leuibus primùm, deinde firmis operibus muniri cœptus est. Fluuio enim alluitur, Ipperlea nomine, qui vbi in mare exit, sinum facit & portum recipiendis nauibus idoneum. Oppidum ipsum satis amplum est, quippe cuius mœnia vix hora spacio circuiri possint. Incolis tam frequens quondam fuit, vt ad tria ciuium millia numerarentur: qui iam ad ducentos circiter & quinquaginta sunt redacti. Sæpè à multis frustrà tentatum est, & à Duce Parmensi & à Lamotta, Greuelingæ præfecto; quorum hic quum veterem iam ciuitatem occupásset, (quæ pars est oppidi litori proxima) inde rursus non sine suorum strage est eiectus. Sed nuper, quum Albertus Caletum primùm Gallis, deinde Hulstam Hollandis extorsisset, mirum in modum munitiones eius creuerunt. 5. Iulij.

Nam

Nam duplici fossa, & duplici vallo vndiq; cinctum est: quorum ea est altitudo, vt non facilè superari possint, si vel à mediocri propugnatorum numero defendatur. Qua mare spectat nudantibus se æstu recedente arenis, infirmius aliquantò est: sed paucarum horarum id periculum est: & eodem æstu rursus affluente, oppugnantibus maximè formidabile. Portus ad occidentē æstiuum se porrigit, non altus ille quidem, aut capax admodum: sed non ita pridem vnda maris vi in terram irrumpens, canalem oblongum fecit, vltra viginti passus latum, & profunditate vel magnorum nauigiorum patientem: per quem ceu perennem fluuium, naues quouis tempore exeunt & ingrediuntur. Breuis inde in Selandiam, Galliam & Angliam est traiectus. Angliæ reginæ Ordines confœderati hypothecæ nomine oppidum iam olim tradiderunt; eaq; hactenus semper è suis Præfectum aliquem eò misit, cum magno Anglorum & Hollandorum præsidio: quod vicina omnia longè lateq; infestis excursionibus quotidie vexauit, & immania tributa non pagis tantum & villis, sed oppidis quoq; nonnullis extorsit. Quocirca Flandri sæpè multis precibus apud Archiducem institerunt, vt hanc spinam è pede Flandrici leonis euelleret, promissa ad obsidionem maxima vi pecuniarum. Albertus ergò primùm oppido castella circumponit, eisq; perpetuum præsidium ad cohibendas oppidanorum excursiones imponit: quorum defensio, vt quidam scribunt, nonagenis aureis menstruis constabat. Sed quum ne sic quidem satis tutam esse Flandriam Archidux è superioris anni expeditione didicisset: tandem summis viribus Ostendam oppugnare decreuit. Et oppugnatio quidem primum admoto exercitu (quod fuit die XXV. Iulij) non omninò difficilis credebatur. Nam primo ferè impetu obsessis portus veteris vsum eripuit: & adactis propius munitionibus, iam vallo imminebat: sed illi continuis laboribus & nouum portum sibi aperuerunt, & oppugnantes aggerum perforatione ita summouerunt vt iam oppido maius ab vndarum impulsu, quàm hostium insultu, periculum immineret. Tanta vtrimq; principio obsidionis machinarum vi fuit certatum, vt non penè toto menstruo spacio quinquagies mille in vrbem, vicies mille magni ponderis pila ferrea ex vrbe in castra contorta ferantur. Præsidium Angla & Ordines confœderati ad eum auxêre numerum vt iusti exercitus speciem habuerit: atq; ita magis castra castris opposita, quam vrbs obsessa visa fuerit. Sed de huius obsidionis quæ totum triennium durauit exitu infrà dicetur.


Sub eius initium Mauritius Nassouius postridiè Calendas Iulij cum exercitu viginti millium virorum, in quo tria erant equitum millia, ad Bercam castra ponit: & extemplo naues aliquot bellicas in flumine, paulò supra oppidum collocat, vt oppidanis terrâ & aquâ aditum omnem intercluderet. Oppido præerat Ludouicus Ferdinandus Daualus, cum magno è varijs nationibus peditum præsidio: equites verò tantùm quinquaginta erant, Botbergio ductore. Et quamquam magna vis alimoniæ & reliquorum commeatuum iam antè esset in oppido: præsidiarij tamen obsidionis iam certi, armenta omnia rusticis & aratoribus erepta in vrbem cogunt, & quicquid possunt, comportant: naues perforatas demergunt, ne in hostium venirent potestatem, & nihil quod ad obsidionem tolerandam pertinet, omittunt. Mauritius non tantum contra obsessorum eruptiones, sed etiam contra externam hostium vim, castra mirum in modum fossis & vallo, alijsq; operibus ita communiuerat, vt facilè quantamlibet irruentium multitudinem posset sustinere. Nihilominus obsessi aliquoties eruptione tentata, multum damni in castris passim dabant, nec minus ipsi accipiebant, cum cæde suorum sæpè in vrbem repulsi. Præfectus intereà Archiducem de suo periculo certiorem facere cupiebat: sed clausis vndiq; itineribus, quomodò id efficeret non inueniebat.

DOTIS NOMINE TRADITVM GVBERNANTE



Eigentliche contrafactur der Stat Berck am Rhein, wie sie nach ihrer gegenwert
in nahmen der general Staten daer vmbher aufgeschlagen vnd angeordnet, begunnen den 12. Iun
nach aufgebung der Stat mit voller gewehr vnd fliegenden vehnlen daraus gezogen.

1 Reuterei der Staten. 3 Moras. 5. Geschutz der Statischen.
2. Aufzug des Koningschen Garnisoens. 4. Fußvolck der Statischen, 6. Wagen vnd fuhr der Koningschen



ausgezeichnet, mit sampt dem Leger wie solches von Gr: Mauritzen Von Naßaw
ist volführet bis auf den 1. Augusti dieses 1601. Jahrs, an welchem tag die Königische Besatzung

Transeien oder Laufgraben der Statischen. 9. Quartier des Grauen von Solms.
Das quartier Grauen Mauritzen von Naßaw. 10. Außleger oder Krigschif der Staten.

Tandem duo sese offerunt, qui nandi peritia confisi, noctis silentio Rhenum traijciunt & Geldriam aut Stralam, vicina Hispanorum præsidia petunt. In eos iam iter ingressos quatuor equites incidunt, & eorum alterum, qui à via metu deflexerat, captiuum in castra perducunt. Nihil socij periculo territus alter progreditur; sed & ipse ab equite quodam, cum non satis expediret vnde veniret, aut quò iter haberet, inuaditur: sed viribus præualidus, equitem iamiam detracturus erat, nisi eidem alius superueniens opem tulisset. Mox vterq; quod transfugæ & desertores essent deprehensi, ad supplicium ducitur. Vnius rei inopia vehementer premebantur obsessi, medicamentorum scilicet & fomentorum: quæ tamen imprimis erant necessaria, tot quotidiè vulneratis obligandis. Nec enim vnquam tormentorum fulmina cessabant: tum cuniculi tanta diligentia & contentione agebantur, vt breui ad vrbis munitiones sit peruentum. Ante vrbis mœnia munitiones quasdam præsidiarij excitauerant, easq; hactenus tutati fuerant: quibus suffossis & vi pulueris dissipatis, Mauritius demum, misso præcone dedi sibi oppidum postulat. Idem periculum iam ciuitatis mœnibus imminebat.

Præfectus, etsi initio cum suis oppidum ad extremum vsq; vitæ spiritum defendere decreuerat: viso tamen periculo, & spe auxiliorum incerta, Mauritij postulata scripto sibi tradi petit; quibus cognitis, Botbergium cum Italo quodam centurione in castra ad Mauritium mittit: is vicissim Clutium equitum & Dortium peditum centuriones obsidum loco oppidanis tradit. Post multas vltrò citroq; latas conditiones, tandem in has consensum est, vt oppidum dederetur, militibus, nautis aliisq; cuiuscunq; generis aut conditionis, nemine excepto, libera exeundi esset facultas, cum armis sarcinis & omnibus impedimentis: neq; etiam cuiquam fraudi esset, qui superiori tempore Ordinibus militâsset, aut quocunq; alio modo noxam meruisset: præfecto duas machinas campestres, cum duobus vasis pulueris sulfurei, & quinquaginta globis abducere liceret: Mauritius ad impedimenta, ægros & vulneratos vectandos præstita cautione de restituendo, ducentos currus suppeditaret; cæteris, qui vel vulnerum, vel morbi atrocitate vecturam ferre nondum possent, tantisper dum conualescerent, in vrbe manere liceret, salui posteà ad suos bona fide remitterentur: debita omnia, obsidionis tempore contracta Præfectus ciuibus solueret ex ijs bonis, quæ antehac ex vi Edicti fisco erant illata: aratoribus etiam & paganis, quibus pecora sunt abacta, vt satisfieret ab Archiduce, idem Præfectus operam daret: ciuibus qui ad alia loca commigrare volent, tempus semestre concederetur, intra quod de facultatibus suis quod videretur statuerent: captiui vtrimq; liberi dimitterentur, vbi pro victu soluissent. Vltimo die Iulij Præfectus, cum mille & trecentis militibus egressus, Traiectum ad Mosam est profectus, cum magna sauciorum multitudine: & ex obsessis quidem supra mille desiderati perhibentur, ex obsessoribus verò non pauciores cecidisse credibile est. Operibus complanatis, Mauritius vrbem diligentissimè præsidio & operibus firmat: ipse copijs in æstiua distributis, vt à tam graui obsidione reficerentur. Hagam Comitis redit, vbi Ordinum erat conuentus. Sed antequam descenderet, aliquot equitum peditumq; millia ad MVRSAM, post VALPVRGIS Comitissæ mortem à Duce Iuliacensi occupatam, ducit: præsidiarijs, nisi oppidum continuò dederent, vim interminatus. Præfectus spacium sibi dari petijt, quo intereà quid faciendum sibi esset, à Duce Domino suo exquireret: sed recusante Mauritio, quum imparem se esse ad vim tantam sustinendam animaduerteret, neq; etiam vt armis se defenderet, in mandatis haberet, oppidum & arcem Mauritio dedidit, & cum suis excessit.

Buscarduus.

Berca ad Rhenum occupatâ: Mauritius Nassouius in Selandiam profectus est, vt ibi qua ad Ostendæ defensionem requirebantur, procuraret. Non exigua manus Hispanorum militum tum per seditionem oppidum Vertanum, in Taxandria seu Campania Brabantiæ situm, occupauerat, imperiumq́; ad tempus detrectabat. Horum animos Mauritius promissis & pecunia tentauit, & à sacramento auertere conatus est: sed quià in hoc non successisset, sciret tamen Archiducem magnis vndiq́; difficultatibus distineri, tentandum aliquid, etsi hyems iam immineret, sibi existimauit. Cal. Nouembris igitur ad Siluamducis castra locat, exercitu vrbem cingit, peditum octo milia, equitum duo & quingentos complectente, & celeritate studioq́; admirabili vndiq́; se communit. 1. Noucb.

Ciuitas quæ militem præsidiarium non habebat, præter duas cohortes, & vnam equitum turmam, cui Adolfus Comes Vambergius præerat, & quinquaginta equites turmæ Grobbendoncanæ, ad arma conuolauit, atq́; ad defensionem necessariam se composuit. Extra portã Vuchtensem Præfectus vrbi, Antonius Schets de Grobbendonc, equestri dignitate, multisq́; alijs ornamentis insignis, excitari munitiones curat, quas etiam ciues licet fortiter ab hostibus oppugnarentur, ad extremum vsque obsidionis defenderunt. Magistratus vrbanus in domibus aquam ad incendia restinguenda, scalasq́; poni iubet, lucernas ante singulos ædes nocte accendi ad plateas illustrandas, & pretio maiori annonam vendere, quàm eo ipso die vaniret interdicit. Gubernator vigilumq́; præfectus ad muniendam vallis & propugnaculis vrbem, cuiuscunque ordinis & sexus homines, victu suppeditato inuitat: vt vno tantùm die ciuium alacritate plus operis sit confectum, quam decem anteà florenorum milibus à mercenarijs præstari potuisset. Post triduum duo creantur duces, senatorius vnus, alter plebeius, tympaniq́; pulsu per vrbem edicitur, vt qui militia adscribi vellent, nomina profiterentur.

Excitantur in manibus nouæ munitiones, & ante portam Vuchtensem, ex præscripto Præfecti, vallum ducitur, formâ dimidiatæ lunæ, quæ si porta expugnaretur, tueri se possent. Accesserat iam propius ad portam Vuchtensem hostis, & rupta tormenti ictu catena, non leui periculo ciues perterrefecerat: sed per milites quosdam precio conductos à Præfecto pons facibus subiectis & stramentis exuritur. Sexto idus Nouembris Grauia missi veniunt manè ante lucem ducenti sexaginta milites: qui etsi numero pauci essent, mirum tamen in modum animos ciuium erexerunt; eosq́; postero die magnopere confirmârunt perlatæ ab Archiduce literæ, quibus nunciabat, se de auxilijs quam primùm ferendis Comiti Friderico Vandembergio mandata dedisse.

Interea obsidionem vrget Mauritius, & candentes igne globos in tecta vrbis emittit: qui tamen incendium nullum, vt sperabatur, excitarunt.

Nam & tecta ipsa, quod lateribus & laminis saxeis constarent, ignem non facilè concipiebant: & magistratus vrbanus edixerat, ciuibusq́; iusserat, vt siccam in ædium tabulatis arenam & contignationibus sufficientem haberent, quæ igneas illas sphæras exciperent, restinguerentq́;. Tribunum etiam præfectis seu Vicomagistris negocium committitur, vt ædes in quas sphæram igneam incidisse suspicarentur, conscendant & visitent, & exortum incendium diligenter restinguant.

Paullo post, duce Hilario de Blyleuen, mille circiter pedites per loca paludosa non sine periculo in vrbem sunt introducti, ad decimum septimum Calendas Decembris.

Non destitit Mauritius frequentibus tormentorum ictibus vrbem concutere, cuniculos subterraneos agere, quibus munitiones obsessorum euerteret.



Eigentliche abcontrafactur der weit berumbten stat HERTZOGEN BO
Gr. Mauritzen im nahmen der Staten erlitten: welche die



H in Brabant gelegen, sampt den Schantzen vnd der harten belegerung so sie von
urger gantz manlich ausgestãdẽ, und die stat bis auff den heutigen tag zu erhaltẽ habẽ

Fortuitus etiam in vrbe accidit casus, Præfecto & Bardulio senatore mœnia obeuntibus, qui quum ad quendam stationarium venissent, tesseram ab ipso Præfecto exigentem, is vt eum agnouit, honorem eidem exhibere cupiens, brachium corpore inclinato, comprimit, & sclopi tractandi imperitus, aut imprudens, igne non satis accuratè custodito, nec auersis per inscitiam à Præfecti corpore armis, sclopo disploso, in coxa eum vulnerat, & duobus locis Senatorem traijcit.

Componit tumultum prudentia Præfectus, cuius virtuti & peritiæ militari, vigilantiæ & industriæ magnam conseruationis suæ partem Siluaducenses acceptam meritò ferunt.

Dum hæc ibi geruntur: Archidux Serenissimus de periculo obsessorum certior factus, Comitem Fridericum Vandembergũ è castris Ostendanis cum copijs ablegauit, & in mandatis dedit, vt militem quàm maximo posset numero colligeret ex præsidijs Brabantiæ, & seditiosos illos Vertenses sibi iungeret: qui etsi ab imperio secessionem fecerant, in tam arduo tamen & difficili negocio ad obsequium redierunt.

Is rebus omnibus paratis, ex oppido Diesta mouet, & per ericeta, quæ in regione illa vastissima sunt, compositis agminibus ad Siluamducis contendit.

Interea tantum frigus incidit, vt non modo multi stationarij milites algore obriguerint, verum etiam flumina glacie concreta nauigationem intercluserint.

Quare Mauritius, duplici periculo, & ab hoste & à tempestate territus satius sibi esse & securius ducebat, cum integro exercitu suo recedere, quàm ancipitem belli aleam experiri.

Ita ergò vicesimo septimo Nouembris in Hollandiam se recepit: itinera tamen omnia, quæ Siluam ducis ferunt, infestari iussit, vicinisq; ne quid commeatus inferrent, vetuit. Sequenti anno Hollandi quum Animaduerterent Archiducem ab Ostendana obsidione nulla re posse abduci: magnas copias è Germania & Anglia contrahunt, quibus Brabantiam vel Flandriam inuadere constituerant, vt ita vel inuitum Archiducem ab obsidione Ostendanâ auerterent.

Lustrato ad Cliniam exercitu, in quo tria curruum millia fuerunt, Mauritius vniuersas copias in tria diuisit agmina, quorum primum Ernestus, alterum Gulielmus, Nassouij, tertium Franciscus Verius eques Anglus (qui paullò antè Ostenda fuerat euocatus) duxerunt; vnumquodq; agmen senis peditum milibus & duodetriginta equitum turmis constabat. Traiecto Mosa, post dierum aliquot iter in Tungros perueniunt: ibiq; accepto commeatu, Tienam cõtendunt, vbi tum Admirans castra habebat.

Eò Mauritius caduceatorem mittit, & Admirantem ad prælium prouocat, qui respondit, Iussum se regioni illi præsidio esse, non prælio decertare. Proinde si castra sua oppugnatum veniret, prælij copiam fore.

Biduo pòst, octauo Iulij, Mauritius, flumine tribus pontibus iuncto, cum vniuerso exercitu, toto die instructa acie stetit: sed Hispani castris se continuerunt. Quare Mauritius, proposito suo frustratus, exercitum reduxit: & receptis à nonnullis Brabantiæ pagis tributis, tandem vicesimo Iulij ad Grauiam castra posuit.

Grauia. *Est verò Grauia territorij Cuciani oppidum Mosa adsitum, olim Gelriæ Ducibus* 02. Iulij.
subiectum, postea verò Brabantiæ Ducatui insertum. Id Maximiliano Burensi Comiti oppigneratum, Gulielmus Auraicæ Princeps, qui filiam eius vnicam vxorem duxerat, magna vi pecuniæ numerata patrimonio suo addidit, olimq; tranquillè possedit: nisi quod à Pacificatione Gandauensi Germani milites præsidiarij nonnihil tumultuati sunt: quos tamen, paucis suorum per nouam, quæ excitabatur, munitionem, cuniculo operâ immissis, mox expulit, quadraginta ferè ex ijs cæsis.

Sed ab Alexandro Farnesio, Parmæ principe pòst oppugnatum, quum diu fortiter vim sustinuisset, præfecti ignauiâ amissum est, & in Hispaniarum regis potestatem rediit, inq; ea hactenus mansit.

Et loci naturâ & operibus munitissimum est; vallo præalto, firmis propugnaculis, & fossis profundis & latis cinctum. Mosa alluitur, cuius nauigatio ciuibus magnas adfert vtilitates; ad quam tuendam præsidiarij cis Mosam propugnaculum exstruxerant, quod à reipsa Sumptusperditi nomen habebat.

Id primum Mauritius aggressus, nullo negotio, à præsidiarijs desertum capit: inde castrorum limites designat, quibus vniuersis fossas circumducit, fossas lorica cingit, per loricam militum stationes disponit: & quandoquidem non dubitabat ab hoste foris se oppugnatum iri; quatuordecim vigilum receptaculis castra includit, in quorum singulis quinquageni mosquetarij excubias agerent.

Castra vniuersa in tres partes erant; diuisa ad orientẽ hibernum, ad ipsum Mosam, Comes Mauritius tetendit: vbi duo pontes Mosæ impositi peditibus vnus, equitibus alter traducendis inseruiebant. Catenæ etiam duæ ab vna ripa ad aduersam erant ductæ, & vtrimq; propugnaculis firmatæ, vt naues incendiariæ si quas fortè Hispani prono alueo demitterent, arcerentur. In altera castrorum parte, quæ priori contigua erat, versus occidentem hibernum, Gulielmus Nassouius cum Frisijs & Scotis, & parte equitatus, stationem habebat: tertiam verò infra vrbem Angli, cum Ringrauio & Friderico Comite Solmensi tuebantur, idq; forum erat rerum omnium promercalium, quæ ex nauibus egesta, curribus inde in ceteras castrorum plagas subuehebantur.

Cis Mosam, ad septentrionem, nullius ducis erant tentoria: equites tamen ex alijs castrorum partibus ad excubias agendas eò mittebantur. Præsidium omne, quod in oppido erat, mille & quingentis constabat viris: ciues verò in vniuersum vix trecenti erant, qui olim supra mille & ducentos fuisse dicuntur: nec tamen arma eis ferre licebat, quod Hispani non satis eis fiderent. Intereà Archidux, quò se Mauritij impetus conuertisset, accepto: Admiranti iubet, vt quantocyus obsessis auxilium ferat. Is collectis quantas poterat copijs, quum dies aliquot in Ducatu Cliuensi substitisset, decimo Augusti castra ex aduerso collocat: & Mosa ponte iuncto, itinera Neomagensia, ad intercipiendos c[illegible]meatus, infestat & obsidet.

Magnam eius aduentus in oppido inter præsidiarios excitauit lætitiam: & ne sibi ipsi deessent, fortiter aliquoties eruptione facta, victores nonnunquam, victi interdum in vrbem redierunt. Ea nocte, quæ inter duodecimum & decimumtertium Augusti diem intercessit, oppidani nunquam in castra hostium detonare & fulminare cessabant: quod signum erat Admiranti crastino die vtrimq; simul vno & eodem tempore castra oppugnandi. Adsunt ergò manè præsidiarij primùm sexcenti, qui in Frisios impetu facto, damno vtrimq; dato & accepto, mox in oppidum reiecti sunt: inde auxiliatores conspiciuntur, virgultorum fasces, matteolos, scalas, dolabras, ligones, aliaq; id genus instrumenta portantes; quibus sperabant castrorum aliquam partem se incensuros, & vbi omnia pugna feruerent & tumultu, in oppidum penetraturos.

Sed Mauritio tantò fuit facilius hunc hostis conatum auertere, quod de eo iam prius esset admonitus. Triduo post Hispani rursus aciem ante castra ostentant: obsessi interim Anglos inuadunt, eadem penè fortuna, quâ prius. Vulneratus est in hoc conflictu Anglorum tribunus Verius; exq; eo vulnere mortuus passim dictus fuit: quod tamen secus se habet. Tentatis frustrà castris, Admirans noctu clàm præmissis impedimentis, exercitum reduxit, & vbi ad Venlonam aliquammultos dies substitisset, nec à ciuibus impetrare potuisset, vt præsidium admitterent, Traiectum versus contendit, omni spe obsidionis soluendæ destitutus.


DIE STAT GRA
Den Ham
Die Wiel
Das Quartier
von
Graef
Mauritz
Anno domini 1602.
18. Julij.


Die Mars
Der
den Dyck
Nordt.

Nam & magna copiarum pars iam dilapsa erat, tyronum præsertim Italorum, qui turmatim ad hostium castra quotidiè, indeq; accepto comeatu & à Mauritio viatico adiuti, qua cuiq; proximum erat, domum proficiscobantur. Reliqui intempestiue admodum tempore stipendium flagitantes, ad seditionem spectabant: è quibus quum nonnulli Aumontiũ occupassent, admirans vt nascenti malo ocurrent oppidũ inuasit & incendit: sed seditiosi, præter paucos, ferro sibi exitu patefacto, Dalã atq; inde Hostratam petierunt. Post Admirantu discessum, Mauritius Rinbercæ timens, Ernestum Nassouium cum aliqua equitatus & peditatus parte ad Rhenum misit, ÿsq; locis præsidio esse iussit: & ne hostis comeatu iuuaretur, ne qua nauis supra Bercam eueheretur, edixit. Interea quamuis ab Hispanorum exercitu foris oppugnarentur castra; nihilominus summis viribus cœpta vrgebatur obsidio: iamq; muri & aggeres ita propugnatoribus infesti erant, vt vix prospicere quisquam auderet.

Tandem expulsi suis munitionibus præsidiarÿ, quum ad summam oppugnationem omnia parata viderent, XIX. Septembris deditionem pacti, eodem statim die arce, inde biduo pòst oppido excesserunt, sexcenti circiter viri.

Leges deditionis cum ciuibus primum hæ fuerunt: vt omnium eorum quæ ante facta vel dicta essent, æterna esset obliuio, nec cuiquam eo nomine molestia exhiberetur: Mauritius omnes pariter, ecclesiasticos & sæculares in patrocinium & tutelam susciperet, cui etiam vt hypothecario fidem omnes & obedientiam præstent. Idem priuilegia omnia, immunitates, libertatem, quibus ante bellicos hos motus ciues vsi sunt, ÿsdem confirmaret. Omnibus vtriusq; sexus ecclesiasticis, ciuibus, inquilinis qui Catholicam profitentur religionem, eandem porrò quoque profiteri, & tranquillè & pacatè viuere liceret, ÿdemq; ab omni iniuria & contumelia defenderentur: templum etiam vnum, in quo suos matrimonÿ & baptismi ritus peragant, eorundem vsui permitteretur. Religiosi omnes monachi, moniales, in monasterÿs suis, si volent, permanerent, bonisq; suis & reditibus liberè vterentur fruerentur. Et quia ciuibus nonnullis à præsidiarÿs multum debebatur: liceret eis in regiones Archiduci subiectas proficisci, ibiq; intra semestre tempus ius suum contra eos prosequi: quod temporis spacium si cui nimis breue sit, ampliorem is comeatum ab vrbis præfecto, quem Mauritius cõstituet, postularet. Quod si quis oppido emigrare, & alio transferre domicilium voluerit: liceret intra proximum triennium id facere; qui verò ex oppido vel rus vel alio, peregrinationis ergò, concesserint, ÿsdem quandocunq; placuerit, in vrbem redire, bona sua vel per se vel per alios administrare fas esset. Quumq; oppidum hoc in confinio Ducatus Cliuensis & Rauestanensis dynastiæ positum sit, vbi consueta Hollandorum vectigalia & tributa locum non habent; ciuium etiam fortuna immensis præsidiorum sumtibus exhausta sint: daret operam Comes Mauritius vt ab eiusmodi oneribus immunes ciues habeantur, durante præsertim bello. Idem etiam præsidÿ in oppido collocandi rationes ita moderaretur, vt ciuibus oneri non sint: & tam equitum quàm peditum habitaculis construendis loca quædam vacua assignaret.

Et quia incomparabilia planè damna ciues iam diu perpessi sunt: nulli vnitarum prouinciarum ciui in quemquam ciuem aut ipsam rempublicam Grauiensem vlla actio debiti nomine proximo biennio daretur.

Hac etiam transactione non præsentes tantum ciues, sed etiam qui superiori tempore reipublicæ aliquo munere perfuncti, alibi iam degunt, comprehenderentur: quibus etiam liber in vrbem reditus quocumq; tempore pateret.

His quidem conditionibus ciues à Mauritio in fidem recepti sunt: nec minus humaniter cum militibus actum est, quibus non arma tantum & signa, sed omnia etiam sua efferre omnibus & singulis est permissum.

DOTIS NOMINE TRADITVM GVBERNANTE.

Holstrat. *Honestißimos Archiducis Alberti conatus hoc anno militum seditiones plurimum retardarunt: ad quas compescendas quum exercitum illi missum iri intelligerent, ad hostes nihil magis optantes, & verbis ac factis rebellionem alentes auxilium confugerunt. Missa nihilominus copiæ quæ Hostratam obsiderent, & seditiosos ad officium reducerent. Quare intellecta: Mauritius statim exercitum cogit, & iunctis seditiosorum copijs. Hostratam obsidione liberatam præsidio firmauit. extractis ibi aliquot diebus, dum quæ ad maiorem conatum necessaria comparantur, decimo nono Augusti ad Syluam ducis proficiscitur, à cuius obsidione superiori tempore, re infecta discesserat.*

Sylua ducis. *Perfectis magna celeritate munitionibus, seditiosos in pago Flima collocat, vt hostem propinquum obseruarent, eiusq́; pabulatores exciperēt: ipse cum exercitu ad portam Vchtensem consedit. Huius obsidionis fama magnum terrorem in Brabantia excitauit: quod hac vrbe amissa, hosti per vniuersam illam regionem excurrendi, prædamq́; agendi daretur facultas.*

Quocirca Archidux Albertus Friderico Vambergio Comiti negocium dedit, vt hostem quacunq́; ratione ab obsidio summoueret, præsidiumq́; in vrbem introduceret.

Is eò profectus, hostiles munitiōnes eò iam perductas deprehendit, vt oppugnari sine magno periculo non possent: itaq́; ab altero vrbis latere, in pagis Lindum & Ortum, castra fecit. Inde quod alterum in mandatis acceperat, vt præsidium immitteret, aggressus, perficere similiter non potuit, non quod aditus omnes essent interclusi, qui satis multi adhuc supererant, & non omninò difficiles, sed quod ciues, sua virtute freti, præsidium recipere nollent.

Metuebant enim, nè vbi milites in vrbem venissent, tumultuari similiter ob non soluta stipendia inciperent, eorumq́; solutionem vel ab inuitis ciuibus extorquerent, aut recusantium fortunas diriperent, quod alibi accidisse meminerant.

His de rebus certior factus Archidux Albertus, ipse eò ire statuit, quamuis multis dissuadentibus, & Antuerpia Bruxellas, inde Traiectum ad Mosam, & deinceps Ruremundam profectus, sub initium Septembris in castra venit, magna omnium lætitia exceptus. Iam enim nemo dubitabat, quin is à ciuibus facile esset impetraturus, quod ipsi nec precibus nec astu poterant obtinere. 1. Septēb.

Quum enim vt diximus, ciues præsidium admittere nollent: Hispani rem astu tractare instituerunt, militibus in currus impositis, vt ita comeatuum specie portis succedentes, eas occuparent, & quem vellent numerum in vrbem immitterent.

Deprehenso hoc eorum conatu, ciues multò vigilantiores quàm Hispani vellent, nonnullos obtruncant, reliquis in vincula coniectis. Dum ita vterq́; exercitus ad Syluamducis desidet, noui paßim militum præsidiariorum stipendia flagitantium motus gliscere cœperunt; quibus sapienter repreßis, Archidux in eam curam vnicè incumbebat, quomodo Syluamducis periculis liberaret.

Eas enim munitiones quotidiè agebat Mauritius, vt cum exercitu hybernare ibi velle videretur. Vna res comeatum eius retardatura videbatur, si comeatibus prohiberi posset. Ad hoc perficiendum locum idoneum speculatus Comes Vambergius, tria lectißimorum militum milia de nocte ad alterum vrbis latus trans Diesam fluuium, inter vrbem & Creuecoram, Hollandorum propugnaculum, proficisci iubet, addito omnis generis militari instrumento quo se munirent.

Id vigiles quidam ex equitibus conspicati magna trepidatione Mauritio renunciārunt, qui sine vlla mora suos in armis esse iußit, deq́; Hispanorum conatu seditiosos


Das Lege
HERT
Baseldonck
Der weg gen Helmont
Aa fluuius
Das Leger des Ertz-Hertzogen Alberti
Der weg gen Graue
Orter der Stat.
+ Die Fuchter pfort. b Der halbe mohn für der Fuchter pforten so dis vergangen jahr gemacht. c Platz der grossen newen schantzen den 2 Sept. des nachts angefangen zu machen, und von den Grafen stürmender hant eingenommen ward. d S. Johans pfort. e Die wasserpfort. f De baum. g Brugk ober welche die Spanischen den 2 Aug. des nachts zogen. h Der Orthemer pfort. i Die alte Hintemmer pfort. k Die newe Hintemmer pfort. l Die S. Anthonis pfort. m Der Hekel, da die Schifflein aus und ein faren, und wirdt mit einem baum beschlossen. n S. Johans kirch. o S. Iacobs kirch. p Der gefangnen pfort. q Der Marckt. r Das Raethaus.
Orten
Diese fluuius
Der weg gen Creuecoer


Mauritij von Nassaw.
OGENBOSCH
Diese newe Schantz wirde den 9 Sept. von den Statischen eingenommen.
Der weg gen Huesden
Vliemen
18. Augusti dafür gezogen.

certiores fecit, monens vt fidem quam verbis & sacramento essent polliciti, reipsa iam præstarent.

Nisi enim inde exturbaretur hostis, & ipsos, & vniuersa castra in magno periculo esse futura. Ita ergo tertio die Septembris, antequam munitiones perfecissent ab vna parte cum suis aggressus Hispanos Mauritius, ab altera seditiosi, diu anceps prælium commiserunt, fortissimè se defendentibus Hispanis: qui tamen consumto omni puluere, à suis destituti, fugiendi occasionem tandem circumspexerunt, partim in vrbem recepti: partim aliò elapsi.

Ex his ducenti in paludibus deprehensi, in hostium castra perducti sunt: atq; ex ijs vndecim statim suspensi. Causa cur in hos animaduertere iuberet Mauritius hæc erat. Ceperant per eos dies Hispani qui Ostendam oppugnabant, nauiculam, in qua octo milites vulnerati cum tribus nautis in Hollandiam portabantur: quibus illi omnibus statim gulam fregerunt, rati hoc modo ceteris terrorem iniectum iri.

Valdè exacerbauit Mauritium hic nuncius: itaq; vt par pari referret, sortes captiuis numero pares in vrnam conijci iubet, è quibus vndecim, vt olim tristi illa litera, patibuli figura erant insignita, quas qui extraxerat, ad supplicium fuit abductus.

Et hoc & illo conatu frustratis Hispanis, optatus accidit, vt dicere cœpimus, Archiducis aduentus: cui ad vrbem venienti ciues obuiam progressi, se suamq; ciuitatem in officio fore dixerunt ac ne præsidio grauarentur, deprecati sunt: is verò facturum se in eo quod è re ipsorum esset, respondit.

Paullo ante Malaspina, ex Italia Marchio, Archiduci in occursum tendens, à seditiosis in via interceptus fuerat. Hic dum die quodam cum Tempelio Mauritij castra obequitat, vterq; maioris tormenti ictu est vulneratus: è quo vulnere Tempelius breui post mortuus est,

Vterq; tum exercitus pabuli inopia vehementer laborabat: eamq; ob caussam equitatum pænè omnem à castris Archidux dimisit.

Importato in vrbem commeatu quantus vel ad longam obsidionem sufficiebat, illa cura reliqua erat, quomodo præsidium quoq; induceretur.

Etsi enim ciuium fidei & virtut Archidux non diffideret, subuerebatur tamen ne vel hostium machinationibus nonnulli peruersi, vel viribus perterrefacti, ea consilia sequerentur, quæ insanabile rebus suis infligerent vulnus.

Magistratui igitur ad se vocato tandem persuasit, vt præsidium reciperent tantisper, dum hostis ad portas desideret: quo digresso, se itidem præsidiarios educturum.

Ad seditiosos quoq; durante obsidione, idoneos homines ablegauit, qui facta eis delictorum omnium venia, septem mensium stipendia, si ad signa redirent, obtulerunt: quibus tamē illi, præsente atq; audiente Comite Mauritio, præfractè responderunt, postulare se non partem aliquam debiti, sed plenariam solutionem, summam verò quæ offerretur, vix esse eius quod deberetur quadrantem, proinde cessarunt posthac ab eiusmodi tractatione.

Ingruente iam hyeme, Mauritius, desperata obsidione, vasa conclamat, militemq; in hyberna deducit.

Atque ita secundùm iam à Duce suo Syluaducis seruata, immortales tam ipsi quam Deo grates persoluit.

Dum ad Ostendam quam superius obsessam diximus magna contentione & prope omnibus viribus vtrimq; res geritur, ab Archiduce præsertim: Mauritius Nassouius ingentem classem vndique contrahit, eique impositum exercitum cum immensa vi tormentorum ac ceteri apparatus bellici, in Flandriam traiectum, & XXV. die Aprilis in parua quadam insula, Casanda nomine, in terram exponit. — Flandria. — 25. April.

Hanc duobus Hispani propugnaculis munierant, quorum alterum Ostfletum præsidiariorum metu desertum, alterum vix admotis tormentis oppugnari cœptum, Mauritius nullo negotio occupauit.

De hostium aduentu certior factus Archidux è castris Ostendanis tria peditum milia cum turmis aliquot equitum & machinis, ad prohibendam exscensionem mittit, quæ in vlteriori portus Slusensis parte consederunt, in omnem euentum intenti.

Ad hos oppugnandos Mauritius naues aliquot præsidiarias proficisci, ac velitationibus tantisper distinere iubet, dum interim in alteram litoris partem ducenti equites cum octingentis sclopetariis exponuntur.

Coxia. — Successit astus, moxq; ipse Mauritius traiecto fluuio qui à Slusa Isendiccam versus decurrit, propugnaculum iis locis Coxiam primo itidem aduentu non minus feliciter capit. Hinc auctioribus copiis SanCatharinum, aliud propugnaculum, post vnius diei oppugnationem in suam potestatem redigit, suoq; milite firmat.

Non procul inde SanPhilippum aberat, multò illo firmius: nihilominus qui in præsidio erant, tormentorum ad Sancatharinum boatu territi, & munitionibus diffisi, ea nocte diffugerunt: ita & hoc sine cæde in victoris concessit potestatem.

Isendicca. — Restabat Isendicca, & loci natura & operibus munitissimum castellum, in angulo quodam duorum concurrentium aggerum situm, duobus versus meridiem Vlissinga, tribus ab Slusa orientem versus miliaribus distans.

Huius oppugnatio cum maioris operis futura videretur; Mauritius castra diligenter munit, machinisq; adductis oppugnationis initium facit.

Interea præsidiarii & Hispani qui circa Slusam erant, oppido egressi, in Cassandam insulam descendunt, maioribus animis quam antea defenderant propugnacula, quæ ibi erant oppugnaturi; quæ si recuperassent, in magno periculo Mauritii exercitus erat futurus, quod ille non ignorans, & propugnacula viginti quatuor peditum cohortibus, & insulam sub Dorpii tribuni imperio duabus equitum turmis & duodecim peditum cohortibus firmárat.

Sed & hoc vehementer Hispanorum conatum retardauit (incauti enim & palantes fortè opprimi poterant) quod Dorpius de hostium consilio tempestiuè edoctus, suos diligenter locis opportunis dispositos in armis habuit.

Quum iam mille circiter Hispani & Itali in terram appulissent, Dorpius suis pugnæ signum edit, qui confusos adhuc & sine ordinibus incedentes facile in fugam compulerunt; in qua multi cæsi, nonnulli quinq; scaphis irruentium multitudine depressis, in aquis perierunt.

Eodem penè tempore Mauritius literas ab Archiduce scriptas intercepit, quibus præsidiarios ad constantiam hortatur, & auxilii intra quatriduum spem facit.

Tantò ergò acrius oppugnationem vrgendam ratus, continuis ictibus castrum verberari iubet: deinde misso tubicine IX. die Maii præsidiarios ad deditionem hortatur.

Iam in magnis commeatuum angustiis obsessi versabantur, quumq; alias conditiones impetrare non possent, relictis vexillis cum armis quidem, silentibus tamen tympanis & fomitibus extinctis septingenti circiter Slusam discedunt, iurati prius intra quatuor menses in Flandriæ finibus contra Mauritium arma non laturos.


t.Sas
Assenede
Oost Ekeloo
Basseuelde
Lembeke
Caprick
Ekeloo
Bochoute
Philippine
Waterdijck
Bentille
Patientie
Watervliet
S. Ioans ten armen
S. Lauries
Biervliet
S
O
W
N
S. Cruis
Middelburch
Waterlant
S. Margreten
Den Boom
S. Philips
Ardenburch
S. Catelinen
S. Christoffels capell
Oostburch
Coxie
Sluus
Schoondijck
Nieukercke
Almoerkercken
Breskens
verdroncken polder
Suidlant
Cadsant
Oostvliet
Walpen
Plate
Vlissingen
Sluser gat
Walcheren


FLANDRIA BOREALIS.
Im Iahr Christi 1604.
Vorrele
Knesselaer
S. Ioris ten Distel
Wingen
Camp velt
Sweuele
Lichtervelde
Thorudt
Merberge
Ritterfoirde
Bernem
Wardamme
t'Castell to Grothusen
Waldegem
Oostcamp
S. Truien
Loppen
Aertrycke
Tillegem
Rabawenborch
S. Cateline
Ergem
Malen
Spermalien
Satrefinnen
S. Baes
S. Cruis
Snellegem
Iabecke
Brugge
Collercke
S. Andries
Westkerck
Rexem
Ettelgem
Ghistele
Damme
S. Peter vp den dyck
Meetkercke
Oldenborch
S. Godelinde
Pelder
Oucke
Munkere
Oostkercke
Dudzele ter Doest
Houthaue
Santvoorde
Sunkerck
Newmunster
Steene
S. Ians vp den dyck
Clemskercke
Lisswege
Ramscapelle
Vlissegem
Bredene
Heist
Wendinen
Oostende
Oceani Belgici Pars

Aegris & vulneratis naues concessa sunt, quibus Slusam portarentur. Tormenta reperta, vnum maius, tria campestria ac tria lithobolaria; signa militaria nouem Hagam Comitis deinde asportata.

Hic Mauritius concilio habito deliberari iussit, quid porro faciendum: tentanda, ne Sclusa an castra Archiducis ad Ostendam.

Quum illud magis placuisset, obsidionis fit initium: prius tamen exercitus pars ad Hasengrassam castellum oppugnandum mittitur.

Praesidiarij primò deditionem facere iussi constanter responderunt, sed vbi tormenta viderunt admota, ijsdem conditionibus quibus Isendiccam castellum Mauritio permiserunt.

Arce hac, quae nauibus magna incommoda poterat afferre, potitus Mauritius, castrorum formam & modum praescripsit, quae statim mirum in modum, dum reliquus ad oppugnationem necessarius è Selandia aduehitur apparatus, muniri coepta.

Slusae metuens Archidux, non exiguam lectissimorum militum manum eò mittit; qui per loca paludosa (Lapsuram vocant) aegrè in oppidum euaserunt, paruo cum obsessorum, vt posteà euentus docuit, emolumento. Slusa.

Quo cognito Mauritius magnum catascopiorum numerum, adiunctis aliquot praesidiarijs nauibus, in specula constituit.

Nec interea oppidani sibi deerant, qui eruptione aliquoties facta, fortissimè dimicarunt. Brater milites praesidiarios magnus erat in ciuitate mancipiorum ad remo damnatorum numerus, quos interficere quum praefectus nimis inhumanum & crudele putaret, & verò commeatus ne militi quidem sufficeret, viam aliquam qua inde educerentur, suos inuestigare iussit: sed frustrà, semitis omnibus ita terra mariq; obsessis & interclusis, vt hostem fallere non possent.

Vna spes erat in Archiducis exercitu, qui nihil interim omissa Ostenda oppugnatione, magna diligentia ad Blanckenbergam copias colligi, castrisq; hostium solutis & dissipatis, commeatum inferri praeceperat.

Et Hispani quidem circiter mille equites, & peditum quatuor milia non procul à Mauritij castris consederunt, viam aliquam speculaturi, qua siue clam, siue vi aperta commeatum importarent.

Obsessi de suorum aduentu certiores facti, magno iterum ardore erumpunt; sed parum prospero successu.

Dum ita ad Slusam pugnatur: seditiosi, qui Graniae hybernarant, cum sedecim equitum turmis & mille sclopetarijs à Mauritio adiunctis, Brabantiam longè lateque peruagantur, ac ferro flammaq; vicos pagos, villas, quae imperatam pecuniam soluere recusabant, depopulantur.

Ad eos qui Graniae remanserant Episcopus Ruramundanus & Hermannus Comes Vambergius ab Archiduce missi, ad saniora tandem consilia flexerunt, vt sui reuocatis, conditiones ab Archiduce latas acceptârint.

Interea Hispani Ostburgum petunt, ibiq; Sancatharinum & Sanphilippum, quae supra commemorauimus, castella, magna virtute expugnant: inde in Morellam propugnaculum facto impetu, ad ipsas castrorum munitiones & artificiosorum ignium apparatus perruperunt.

Diu hic vario euentu iterum pugnatum est, donec tandem Mauritius laborantibus auxilia, cum puluere & globis, submisit.

18. Augusti. *Tandem obsessi summa annonae coacti inopia, desperatis suorum auxilijs, XVIII. Sextilis Mauritio dediderunt.*


Ostenda obsidionem supra auspicati sumus: ceterùm cùm nimis longum sit totius huius triennij quo vrbs obsessa fuit res gestas perscribere, ea modo qua vltimo anno acciderunt, explicabimus.

Ostenda. *Post diuturnam oppidi obsidionem atq; etiam oppugnationem, cum non ita multum proficeretur; accidit tandem vt Ambrosium Spinolam, virum omnibus naturæ donis cumulatum, Friderici fratris cadis fama tristis & luctuosa admodum ex Italia exciuerit, isq; magnis itineribus ad Archiducem Bruxellas venerit, à quo humanissimè acceptus, operam suam ei vicissim obtulit, non tam vt fratris cædem vlcisceretur, quàm res Catholici regis & Catholicorum, quibus posset modis, adiuuaret. Quare in castra postea cum imperio profectus, multa ibi secus quàm oportebat, administrata deprehendit, quibus correctis, summa diligentia modum aliquem intercludendi oppido commeatus comminisci cœpit. Multum ei hac in re profuit Pompeij cuiusdam Ital. hominis in castris metandis, substructionibus excitandis, ac cuniculis agendis admirabilis solertia. Ex huius præcipue cõsilio, & Spinolæ iussu veteres munitiones multis ictibus la era, aut negligentia destitutæ reparantur, operæ conducuntur, sumtuum rationes ineuntur, manibus recisis omniaq; in meliorem rediguntur formam.*


Spinola qua proximum erat, rem tentandam ratus, ligone & dolabra multum vtebatur, tum in excitandis propugnaculis, tum in cuniculis agendis, non ignarus multis ictibus tandem deijci arborem quantumuis altis & firmis radicibus hærentem. Interim non minus obstruendis amnis faucibus opera datur, & Spinola naues aliquot, impositis remigibus & classiarijs, tàm ad oppidum quàm mare infestandum emittit. Eodem tempore tormentorum magister ex oppido ad Hispanos profugit, & monstrato nouo illo artificiosorum ignium inuento, suis artibus oppidanos petijt, & immissis in propugnaculum quod inter ortum & Septentriones medium est, simili artificio præparatis globis, ingens incendium excitauit, in quo restinguendo mirabili vsi sunt industria & audacia mesonautæ. Annus iam exibat, & ab vtrisq;, maximè verò obsessis, non minus tempestas quàm hostis formidabatur: & de portu Ostendano id quod Poëtarum princeps de lacu Auerno dixit, dici poterat: 1604.

Quem super haud vllæ poterant impunè volantes Tendere iter velis.

Nam Decembris die X. è magno nauium numero ingrediendi occasionem captantium, nulla in portum peruenire potuit, sex etiam continua verberatione depressæ: 10. Decemb. *octiduo tamen post quadraginta circiter, multis ictibus perforata, nec non X X. eiusdem mensis viginti septem alia in oppidum sunt inuectæ: comeatuq; expositi, mirificè milites recrearunt. Cum his Gisellus venerat, nouus oppidi gubernator in Vandernotij locum suffectus: quod tamen ille munus non diu tenuit, paucis diebus post machinæ telo percussus. De captiuis tum permutandis actum & transactum, & ij vtrimq; ad suos liberi remissi. Inde ad solitas artes & machinationes reditur, Spinola magno studio operas & opera promouente. Ad prohibendas naues aditu ingentis operis & artificij machina excogitatur. Currus erat specie, quatuor rotis aneis, quarum altitudo quindecim, absis verò V I. pedes in latitudine complectebatur: longus L. latus X V I. passus. Medio malus erat infixa, qua pons è rudentibus & funibus crassissimis contextus, attollebatur, vel rursus pro lubitu demittebatur: sub quo milites à sclopetorum vi tuti incedebant. Machinæ tractoriæ ita fabricata erant, vt helciarijs equis in pronam partem actis, currus in aduersam propelleretur, deq; eo illud verum esset quod nostrati prouerbio facere vetamur, nimirum ne pone currum equos iungamus, præpostero & irrito labore. Hunc militaris obsessorum licentia pigrum, à tardo, credo, motu; & Infernalem etiam, ab admirabili forsan inuentione & artificio, appellauit. Sed nullis fuit*



Slimmers halber maen
Anno 1604
Die Suid Kaer
Ein pfort ins Spanisch bolwerck mit einer brugk vber den statgraben vnd einer langē brugk die zum halben meen fürt ins Suidē off dem hohen lande gelegen.
Ein halber meen
Die Polder Kaer
Der Kirchof
Der frey garce
Polder bolwerck
Pekels bolwerck
Die Geule flu
Zu diser seiten hinaus ligt das grosse oder generale Veltleger des Ertz hertzogen Alberti.
Ein vbergāg da die blawe sluys gelegē
noch ein newe brugk
Die alte Stat
Sanchil
Foucebrey
Der West hauen
Der Lugeuer
Schottenburch
Ein eck des See strang


St. Peeter
West kare
St. Maria
Der West hauen
Die grosse katz
La dike
Des Ertz hertzogen
La lune
Kraien nest
Alberti Leger
Spinola
Suiden
Suid Suidwest
Oost Nordost
Abbildung der Schantzen und bolwerck sampt gehaltenem letzten sturm vor der stat OOSTENDE den 16. und 17. Junij anno 1604.
der frej garten
Die katz
die Oost porte
West bolwerck
Der west hauen
OSTENDE
Wie es itziger zeit gelegen, daer-
das zu sehen wie weit der Ertzhertzog
hinan und hinein geruckt, und in dem letzt ge-
haltenem grossem Sturm so viel starcke schätz-
en, bolwercken, rauelinen und andere municio-
nen den belegerten Statischen abhendig gemacht
nach dem Ihrer Durchl: Velt oberster Spinola seine
manheit dafür erzeige, und noch hinfürt erzeigen thut.
Im kleinern taflin.
1 Albie ist die Mien gesprengt worden den 2 July, und gesturmt, mit grosser niderlag viler Soldaten. 2 hie ist ein Mien mit eim halben mon, darauff die belegerten die wache halten. 3 das West bolwerck. da ist die Mien gesprengt den 16 Iunij. 4 Baterej vff dem marckt an verscheiden orten gericht vff die grosse katz des Legers.


vsui, rotarum vna ab obsessis tormentorum vi corrupta & perfracta. Die porrò Mar-
20. Martij *tij XX. atrox exorta est tempestas, quam ingens sequuta est eluuio, quæ res obsessorum vehementer afflixit. Nam & vehementi allatrantis æstus impetu multum à præcipuis atq; munitissimis valli propugnaculis terræ & materiæ erat auulsum, adeò vt metus esset ne conuulsis fundamentis, planè tandem conciderent, fluctibusq; exponerentur: nec quidquam materiæ vel ad frangendos maris impetus, vel ad instauranda vitia ad manum erat. Accedebat ab hoste periculum, quem patefacto aditu, vires suas omnes eò cōuersurum, minimè dubium erat. Edocti de damno Ordines magnam vim omnigenæ materiæ nauibus impositam ad obsessos mittunt, quâ perlata præsidiarij in certam iterum spem defendendi oppidi sunt erecti. Inde igitur certatim operi & ruinis instaurandis incumbunt, non sine multorum cæde, quos hostilia tormenta, quà maximè opus feruebat directa, interfecerunt. Sed morbo & inopia liberati, facilè ea pericula quibus iam longo vsu assueti erant, contemnebant. Mense Aprili X. peditum signa, ductore Berendrechto, & XIII. naues vario commeatu onustæ in oppidum introducta: boues deinde duo præpingues corona & sertis redimiti ad ostentationem vberioris commeatus & pompam per oppidum, præeunte Martiali Musica, circumducti & mactati, eorumque carnes publicè venum tolerabili admodum, vt in eo loco & statu, precio sunt proposita. Spinola interea dies noctesq; operas & laborem vrget, hostium propugnacula suffodi, & aduersa contra agi curat, ea præsertim parte quæ occidenti obuertitur. Persuasum hactenus plerisq; fuerat cuniculos in loco tam vliginoso agi non posse: at contra euentus docuit, etiam fieri posse, quæ fieri non posse videntur, si eo quo par est modo & diligentia suscipiantur, & continuentur. Iam Hispani partem Polderani propugnaculi tenebant, cæterisq; tam propè imminebant, vt ab obsessis exaudiri possent. Noua igitur pomœria describunt, noua mœnia struunt, nouas ducunt fossas, nouam denique vrbem condere incipiunt, in quam vetere expulsis esset receptus. Occiso, vt paulo antè diximus, Gistello, Lonius chiliarcha est suffectus, quinto post die eodem fato functus.*

Huius locum communi bellicorum consiliariorum sententia capessere Bueterius, Rusolius, & Draco iussi sunt, dum à Mauritio & Ordinibus gubernator diceretur. Ex his Draco eandem quam superiores oppetijt mortem, capite ictu globi maioris ab humeris auulso, post eum Vtēbouius imperium tenuit. Simile fatum fuit Dauidis Gildani, hominis in agendis cuniculis peritissimi; cuius singulari & industria & arte res oppidanorum multum hactenus fuerant adiutæ. Iisdem diebus Bueterius quoq; grauiter fuit sauciatus. Dum ita ad Ostendam acerrimè pugnatur: Mauritius traiecto in Flādriam exercitu, Exclusam obsidione cingit. Ea res cognita magnam Ostendanis attulit alacritatem, quod longis illis obsidionis molestijs & periculis tandem se liberatum iri sperarent. Vnum modo Porcepiccum è suburbanis propugnaculis in sua adhuc habebant potestate. id quoq; Hispani missili igne succenderunt, sed mox flamma quæ vix emicuerat, sua sponte est extincta. Litteræ quoq; ibi repertæ sunt, quibus Hispani ad deditionem eos hortabantur, quàm si vltrò sine longiori procrastinatione facere vellent, cōditiones accepturos quas postulauerint; sin autem, aditum porrò omnem ad veniam fore præclusum. Renuunt obsessi, cōtestati, nec promissis, nec minis adduci se posse, vt his de rebus quidquam paciscantur; sed ad extremum vsq; spiritum, vt fortes decet milites, pugnaturos. Quare iterum Hispani ad dolabram & ligonem conuersi, diuersa oppidi propugnacula inuadunt, & magna cum cæde tandem expugnāt. Tanta iam erat vtriusq; partis vicinitas, vt quæ ad illā pertinent omnia obire possent, salutando scilicet, colloquendo, dexteras etiam apprehendendo. non tamen pro his obuijs humanitatis officijs alter alteri gratias agebat.

*Ea de causa obsessi, nouis hospitibus locum cedentes, in cœptum à se condi oppidum
commigrarunt, cuius munitionibus fidere iam aliquo modo audebant. Etiam præter id
quo iam recepisse se diximus, aliud oppidum descripserāt, Nouæ & paruæ Troiæ impo-
sito nomine, quo, si fortè altero illo cedendum quoq; esset, domicilium transferre, atq;
Ostenda. ita locum illis dare possent: sed præter delineationem nihil hac in re fuit perfectum. Il-
lud vnicè operam dabant, vt liber esset tam ad exeundum quam intrandum comea-
tus; & Hispanorum opera ad eum intercludendum apposita, breui æstu & vi maris
disturbatum, ipsum verò canalem latius apertum iri sperabant. Contra accidit. Ma-
rini enim fluctus Cauro impulsi ingentes arenæ cumulos aduexere, adeò vt breui por-
tum obstructum iri, metus esset. Vallum quoq; quo aduectæ naues ab hostium machinis
protegebantur, eadem vis aquæ magna ex parte abstulerat & nudarat. Hæc à mari
pericula. à terra non minora impendebant. Iam signa hostium in pleruq; ad eam par-
tem propugnaculis fixa cernebantur: iam loca omnia in quibus pedem ponerent, suspe-
cta erant, omnibus cuniculorum plenis; in nouis verò munitionibus non ita multum spei
erat, quod terra recens ac nondum in se pondere compressa, facile tanquam puluis di-
sturbari posset. His tot tantisq; periculis quotidiè ob oculos versantibus, locum nihilo-
minus defendebant. Ad hoc multum quoq; eos excitabant Mauritij è castris ad Exclu-
sam literæ, quibus pollicebatur, breui se cum exercitu adfuturum & hostem ab obsidi-
one si quo modo fieri posset, depulsurum. Sed quum huius perficiendi spes nulla esset, &
& hostis indies magis magisq; ingrueret, ægrè summouendus: tormenta præcipua alia-
que quibus carere poterant, nauibus imposita in Selandiam maturè transferre curāt.
Certe XIV. Septembris triginta dua oneraria, varijs rebus onustæ portum sunt egres-
sæ: è quibus tres crebris ictibus perforatæ in fundum subsederunt, ceteris quò tendebant* 14.Sep.
*sine damno appulsis. Nullus dies, nulla penè nox erat, qua non Hispani aliquid tenta-
rent.*

*Victi ergo tandem fractiq; obsidentium pertinacia, deditionem facere constituunt,
ac binis vtrimq; datis & acceptis obsidibus, leges quadam & cōditiones proponuntur,
de quibus aliquandiu est disputatum. Postulabant obsessi quidem initio aliquot dierum
inducias: sed aures occludebant Hispani, turpiter hac ratione antea deceptos se dicti-
tantes.*

*Tormenta quoq; omnia quæ reliqua erant, vt abducere sibi liceret, instabant,
quod itidem primò negatum; de quatuor tamen postea consensum. Sic ergo XX. Septē-* 20.Sep.
*bris Anno MDCIV. hora X. antemeridiana, in has cōditiones est conuentum, vt præ-
fectus qui tum Marquettus erat, chiliarcha, cēturiones, milites cuiuscunq; status, ciues
cum vxoribus & liberis, omni qui supererat commeatu, supellectilibus, alijsque fortunis
suis oppido excederent, signis explicatis sonantibus tympanis, incensis fomitibus, globis
ori insertis, & in loca tuta incolumes deducerentur: ad ægrotantium quoq; & saucio-
rum atq; aliorum onerum vecturam centum triginta commodarentur currus. Con-
ditionibus his vtrimq; acceptis, oppidani quæ adhuc tenebant propugnacula Archiduci
tradiderunt, ipsi in Nouam Troiam concessere: postero verò die oppido egressi, per Hi-
spanorum castra Exclusam versus iter instituerunt, in quibus Spinola præfectum &
duces primarios splendido admodum & sumptuoso conuiuio excepit, ceteraq; in rebus
magna erga eos comitate est vsus, concessis etiam ad primorum vsum equis. E contra
seditiosi qui ad Exclusæ obsidionem soluendam, vt suprà indicatum est, cum reliquo
Archiducis exercitu profecti fuerant, in insidijs latebant, & iam in eos contra datam
fidem erupturi fuerant, nisi Comes Buquoius eos continuisset. Ad Exclusam humani-
ter à Comite Mauritio excepti, mox ad corpora curanda per ciuitates hinc inde distri-*


20
22
21
23
24



1 Die Peerle Schantz.
2 Schantz S. Philips.
3 Lillo.
4 Lifkens hoeck.
4 Creutz Schantz.
5 Blockers deych
6 2. Stuck geschutz dar durch die
7 Das landt vnder dem deych da
die Statisch ankammen
9 Statische kriegs schif
10 Spanisch Bootsgesellen gegen den
feient Schärmutzlend.
11 hier fuhren die Spanische Bootsgesellen
an lant.
16 Der dam
17 Pulver haus.
19 Der werf.
20. Statische schif.
23. Das dorf am fehr
Eckeren
Osterweel
ANTORFF

butisunt. Hic exitus fuit tam celebris, atq; inter multos maximè diuturna & memo-
rabilis obsidionis: in qua illud maximè enituit, Nullum tam firmum esse propugnacu-
lum, nullam tàm benè munitam ciuitatem, quin consilio tandem & vi expugnari pos-
sit. Cœptæ obsidionis tempus his quidam verbis consignarunt: OstenDe nobIs pa-
CeM; capti vero oppidi illis: OstenDa M InItIa paCIs: quæ vtinam aliquando Belgas,
immò omnes Christianos respiciat!

Expugnata Ostenda, Exclusam Flandris non minus quam illam antea metuendam, Isédeich.
modis omnibus obsidere serenissimus Archidux Albertus constituerat, multisque exci-
tatis passim munitionibus, suos ab exactionibus & depradationibus defendere satage-
bat. Est verò Isendicca Exclusæ veluti propugnaculum, illamque tenenti non omnino
difficilis huius futura videbatur oppugnatio. Quare hanc longa veluti manu oppugna-
re visum, interclusis panè omnibus itineribus, adeò vt periculum ipsi præsidiarij non dis-
simularent.

Hæc caussa & alia Comitē Mauritium mouerunt, vt exercitū è Germania Ioanne.
Philippo à Bimbach duce, nouis copijs auctum quamprimum contraheret, & nauibus
impositum vel in Flandriam vel aliò traijceret, ad distinendas Hispanorum vires, no
uis itidem ac magnis Italorum, Valonum ac Germanorum copijs firmatas. Nam è sola
Italia ad sex armatorum milia venerant, præter Hispanos. quanquam magna pars
morbo, cœli, alijsq; incommodis confecta in via perijt, non pauci etiam antequam sig
na vidissent, discesserunt. Mense ergo Maio Bergopsoma Ernestum Comitem Nassoui-
um cum sex vel septem armatorum milibus Antuerpiam versus per Scaldim nauiga-
re, & aggerem Flandricæ regionis, vulgò Blocquersdiccam appellatum perforare ius-
sit, eo consilio vt aqua per vniuersum illum agrum exundante, nauibus pateret ad eam
partem Scaldis quæ supra vrbem est transitus, atque ita commeatus aqua Antuerpi-
ensibus vndique intercluderetur. Mauritius cum reliquo exercitu secundum fluminis Blockers
ripam profectus, ad Eckeram pagum non procul ab Antuerpia consedit, terra etiam, si deich.
prior ille conatus successisset, vrbem fortean obsessurus. Quamuis autem tanta tamq;
munitæ vrbis obsidio longè maioris operis videri poterat; erant tamen multa quibus in-
stigabatur, sed inprimis quod intercluso comeatu (quæ vna est huius vrbis expugnandæ
ratio, à victorioso Parmensi Principe olim quoque vsurpata) magnam breui in tanta
ciuium & aduenarum multitudine alimonia aliarumque rerum ad defensionem ne-
cessariarum inopiam fore animaduertebat. Et sane aiunt vel audito hoc Mauritij co-
natu precia rerum Antuerpiæ vno eoque non toto die mirum in modum excreuisse,
quod securi ciues granaria & penora non optime haberent instructa. Non ita clam
consilium hoc tractatum est, quin aliqua eius indicia ad Hispanos emanârint. Quare
Albertus Archidux Inigo Borgiæ negocium dedit vt cum lectissima militum & equi-
tum manu quam celerrimè ad ea loca proficisceretur, eaque quo optimo posset modo
ac ratione muniret. Interea XVII. Maij Comes Ernestus secundo vento per Scaldim
17.Maij. velificatus, prædicto loco militem exponit, cum instrumentis ad perforandum agge-
rem necessarijs. Prosiliunt mox ex insidijs Hispani, & opere occupatos armis præoccu-
pant, ad ducentos cadunt, centum capiunt, reliquos effusa fuga ad naues compellunt,
duorum inprimis tormentorum beneficio, quæ idoneis locis disposita, magnam stragem
ediderunt, ac quatuor naues vt ad nauigandum inutiles essent conuulserunt, quas Co-
mes Ernestus, ne in Hispanorum venirent manus, in altum prouectas incendit, & se-
cundo æstu ac vento Antuerpiam demisit. Prælium hoc è vallo & muris spectarunt
Antuerpienses, sine dubio primum inter spem ac metum hærentes dein, suorum victo-
ria læti.

Hoc anno optatissima pax inter Hispaniæ & Angliæ reges, a Velasco potissimum Castiliæ Comestabili in Anglia composita simul & à rege Angliæ confirmata est.

Quum igitur secretum quodq; esset, vt quamprimum fieri posset Angliæ rex legatum in Hispaniam mitteret, qui à rege eius gentis iuramentum de seruandis supradictis conditionibus & fœdere sartotecto tuendo præsens acciperet: Carolus Hauartus, Comes Notingamensis, Angliæ thalassiarchus, iussu regis sui Vndecimo Mensis Aprilis è portu Douerensi soluens, circiter Calendas Maij Coronicam in Galloecia appulit, ibiq; dies aliquot refectioni dedit.

Hinc missis in portum Santandreanum nauibus, ibiq; reditum suum præstolari iussis, cum splendido admodum comitatu terrestre iter est ingressus, & per difficilem multis locis & asperam viam, tandem Salamancam XXIV. Maij peruenit, à Petro de Cuniga regis nomine quam honorificentissimè ibi exceptus. 24. Maij.

Valladoletum. Biduo post quum legatus à regia Hispaniæ, quæ Valladoleti tunc erat, non procul abesset, splendidissimum obuium habuit comitatum, in quo trecenta circiter pilenta, & vltra octo hominum varij ordinis & conditionis milia numerata sunt: in quibus familias ducebant Castiliæ Comestabilis, is qui bonam in pace conficienda, vt modò diximus, operam nauauit.

Proximè sequens dies in amicis & aliorum, qui ea in aula versantur principum oratoribus salutandis est consumtus. Die Sabbathi, qui erat vicesimus octauus Maij, in regium conclaue cum omni suo comitatu introductus, per interpretem mandata exposuit, deinde ex aduerso regis considere iussus est: ac tum Angli equites omnes, antequā conclaui excederent, manum regis sunt deosculati.


Inde legatus ad reginam profectus, cum stante stans aliquandiu est collocutus, ac digrediens ipse itidem Infantis filiæ sexennis manui osculum impressit. Sequente die Dominico insignis admodum & splendida processio à Dominicana familia monachis celebrata fuit, cuius rex ipse, cum multis principibus & nobilibus fuit comes: vt & Anglorum nonnulli, qui scilicet à Catholica Romana Ecclesiæ ritibus nondum defecerant: legatus verò pompam ex ædibus templo vicinis spectauit, exhibitis inter eundum & redeundum & regi & ceterorum Principum legatis ac dominis reuerentiæ signis.


Eodem die, in eodem templo, D. Pauli scilicet, regis filius Christiano lauacro tinctus est, his ferè ceremonijs.

Templum prædictum aulæis & tapetibus preciosissimis (è Tunetana vrbe expugnata Caroli V. Cæsaris manubijs) vndiq; erat exornatum: eoq; circiter horam sextam vespertinam regius infans baptizandus magna pompa est illatus: quem vesti serica inuolutum Lerma dux toga talari ad antiquorum formam facta, amictus, ferebat, præcedente magna parte nobilitatis, in qua etiam regis Fessani fuit filius, & quatuor sceptrigeris, Coronam Velascus Castiliæ Comestabilis, cereum Albæ Dux, Pastranus salem, Albuquercius peluim auream cum mantili preciosissimo ferebat.

Sequebatur Lermæ Dux cum infante regio; post hunc Ducis Sabaudiæ filius maior natu: inde muliebre incedebat agmen, ducentibus quatuor reginæ prætorio præfectis: post quos infans Hispaniarum regis filia, aurea lectica ferebatur, præeunte minore natu Ducis Sabaudiæ filio, sequentibus primarijs feminis, cum magno virginum & pedissequarum comitatu: rex verò & regina pompam è loco ad id facto spectabant.

Lermæ Duci ad templi fores Toletanus Cardinalis, Episcopi Burgensis & Valladoletanus occurrerunt: dein ad baptisterium perfertur. intereà idem Lerma Dux In-




IN FRIESLANT

fantem filiam itidem ad Baptisterium adducit, ac mox duobus his, Subaudo scilicet, & regis filia fideiubentibus, infans à Cardinali Toletano salutari lauacro immergitur, Philippi Dominici Victoris accepto nomine, spectante iterum rege & regina è loco editiori, & ex alio, Angliæ legato.

Die postero, qui Lunæ erat, à Cardinali Toletano legatus salutatus est, cumq; eo varijs de rebus sermo habitus.

Die Martis regina in D. Mariæ & S. Laurentij primam habuit post puerperium supplicationem, comitante ipso rege, cum magno principum, Comitum & nobilium numero: tumq; regij infantis nomine ad altare delati, oblationes factæ sunt, atq; inde sacrum solenne celebratum.

Eodem die Velascus Comestabilis legatum & Anglos splendidissimo conuiuio excepit, cui etiam Sessæ & Albuquerci Duces interfuerunt.

In hoc quater fercula illata sunt: magnaq; cum admiratione spectabantur abaci aureorum & argenteorum vasorum pleni.

A prandio legatus cum conuiuatore regem adijt, comitante etiam ordinario Angliæ regis, qui ibi residet, oratore; sed hic mox impetrata venia, cum Comestabili ad reginæ colloquium venit, dum interea Hauardus cum Lerma Duce tempus fallit.

Iunij Calendis idem legatus Cardinalem Toletanum & alios adijt, postero Cæsareæ Maiestatis, tertio Galliarum regis & Venetæ Reipublicæ oratores conuenit, ijs comitantibus, quos rex ei adiunxerat, inprimis sæpe nominato Comestabili, qui officij causa vix vnquam à legati hospitio discessit.

Similibus salutandi officijs quartus Iunij consumtus est dies. Iam sextus appropinquabat, isq; Dominicus, qui iuramento præstando erat destinatus, sed res nescio quam ob caussam in alium diem fuit dilata.

7. Iunij. *Biduo post, septimo Iunij, Legatus à Comestabili rursus ad verè regium conuiuium vocatus fuit, vtpote cui rex & regina interuenerunt, sumtoq; poculo rex legato Anglorum regis salutem amicissimè propinauit: dein remotis mensis in alio conclaui ludus Comicus fuit exhibitus.*

Nono eiusdem Eucharistia (erat enim festum Corporis Christi) ipso rege processionem comitante, per vrbem fuit circumlata: à meridie Comestabilis legatum, adductis eum in vsum equis, ad regem accersiuit, vt ab eo solenniter de pace seruanda acciperet iuramentum.

Is ergo conscensis equis cum præcipuis è suo comitatu ad regium palatium contendit, idq; ingressus ad ipsum atrij ostium, in quo fœdus iuramento erat firmandum, regem obuium habuit. ingressi vna, rex in suo solio, Anglus legatus in alio ex aduerso Cardinalis Toletani consedit.

Ante regem Dux Lerma astabat, manu gladium nudum dextro humero impositum tenens; nec procul inde ad vtrunq; latus feciales siue Heroldi, cum regijs armis & insignibus.

Sermonis initium Cardinalis Toletanus fecit, qui lingua Hispanica regi exposuit quod & quale iuramentum ab ipso posceretur, in hanc ferè sententiam.

Iurandum regi esse tactis sacrosanctis Euangelijs, pacem proximi elapsi anni mense Augusto cum magnæ Britanniæ, siue Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ rege initam, inuiolabiliter seruaturum, nec per suos quidquam ei derogari passurum. additum quoq; aliquid de vectigali illo nouo, quo paullo minus triente ab omnibus mercibus exigebatur, penitus & tunc & in posterum abolendo.

Pace ita iuramento confirmata, sequenti die V. Iunij, taurorum venatio in foro Valladoletano fuit instituta. rex & regina circa meridiem ad pratorium profecti, vnà cum Anglo legato pransi ibi sunt. regina totum ferè gynæceum adduxerat, è quo plerisq; omnibus equitatibus singuli nobiles pedestres singulis dextrum latus claudebant.

Sed Anglis ante omnes, etiam cursoribus spectandi locus concessus. Tandem venationis, diutius aliquanto ob solis ardorem, qui rectis radijs eum locum è quo rex prospecturus erat, feriebat, extracta factum est initium, emissis tauris, quorum quindecim interfecti, & tres vel quatuor è venatoribus grauiter sauciati, atq; etiam tres equi prostrati sunt & obtriti.

Mox in vacuam aream duodecim tympanotribæ equis vecti processerunt; post hos triginta tubicines, eodem omnes vestitu, candidi, rubri & violacei coloris.

Post hos duodecim agebantur muli, minimè eo animali, sed tamen tanto rege dignis phaleris ex argento & serico exornati, telorum aliquot & lancearum paria singuli tergoribus gestantes.

Singulos singuli muliones ducebant, nudo capite, eleganter, atq; etiam sumtuosè vestiti. Inde equisones regij primum 27. eximio corpore equos preciosissimè phaleratos produxerunt, quibus singuli additi erant calones, splendido omnes vestitu. proxime hos Sabaudiæ Ducum XV. numero non minus quàm illi generosi equi à ministris manuducebantur, stragula veste eorundem insignia ostentante.

Hos duodetriginta alij sequebantur: quorum sex vrbici erant præfecti, reliqui viginti duo Castiliæ Comestabilem dominum agnoscebant.

Plures adducere (erant enim ab omnibus penè Principibus & Comitibus, qui tum in aula præsentes erant, aliquot adornati) diei tempus, quod non ita multum à nocte aberat, non patiebatur.

Traductis hoc modò à ministris, qui suorum quisq; dominorum arma in scuto depicta ferebant, veluti ad pompam prædictis equis: rex Lerma Duce comitatus, præeuntibus quatuor cornicinibus, intra cancellos venit: qui vbi mox aduersi constitissent, veluti hostes concursuri, sed minantes tantum intenta lancea, non etiam inferentes ictum, equis celeriter incitatis alter alterum est prætervectus.


Eodem modo circiter quadraginta aliorum nobilium paria aduersos equos concitarunt. Hac ludicra pugna edita, ijdem in arenam æthiopum habitu induti redierunt, pro more eiusdem gentis scuto & pilis armati.

Concurrunt ex aduersa vtrimq; ordinata acie deni & deni, hoc ordine vt fugientes emissis pilis ad suos se reciperent, ex his insequentes deni alij repellerent, reciprocata vtrimque fuga & persequutione.

Huius certaminis primos ordines ducebant, Dux Infantasci, Corrector (est id supremi magistratus hoc in loco nomen) Valladoletanus, Comes Alba de Lista, & Dux Albanus. Multa iam nocte suum quisq; in hospitium, daduchis præeuntibus, concesserunt. Eo qui hunc sequutus est die rex cum regina armorum lustrationem spectauit.

Erant verò viginti duæ equitum è nobilitate, quatuor ferentariorum, cæteræ omnes lanceariorum turmæ, singulæ quinquagenûm aut sexagenûm virûm cataphractorum. Vniuersum agmen Dux Lerma regebat: secundam turmam Marchio Sangermanus, illius legatus, ducebat. tertiæ præerat Henricus Gusmannus, cum Calatrauarij ordinis insignibus, quinta turma Lermæi Ducis insignia præferebat, sexta, Septem Infantium de Lara, septima dux erat Comes Pomorostanus, effigie B. Mariæ virginis in vexillo depicta. octaua Petri de Castro ductum sequebatur; cuius insignia erant sex globi in scuto argentei coloris. nona præerat Comes Xelphitanus; cum Lermæi Ducis insignibus. decima signum crux erat decussata: vndecimum Valladoletanus regebat præ-


LINGEN



fectus, gentilitia arma pro insigni ferens. duodecimum vexillum viridi erat colore, effigiem itidem B. Virginis Mariæ repræsentans.

Decimæ tertiæ turmæ dux erat Ludouicus Gusmannus, propria gestans insignia, vt & decima quarta, Marchio Canneranus, nec non decima quinta, Dux Sessa.

Decimum sextum vexillum itidem B. Mariæ virginis effigiem præferebat: decimum septimum verò giluo, candido & cæruleo colore erat insigne.

Repetita Calatraua insignia decimum octauum ostentabat. Quæ sclopis armatæ erant turmæ ad quatuor circi angulos constiterant: erant quoq; qui arcubus & sagittis vtebantur Marchione Cuellano duce.

Hi omnes quum aliquandiu sese ostentâssent, in duo deinde agmina distributi concurrerunt, signoq; à rege dato domum sunt reuersi.

Atq; hæc quidem publicè edita sunt spectacula, quæ ieiune admodum ex ieiuna narratione, vti edita est, describimus, ideoq; lectorem vt styli ruditati ignoscat, rogatū volumus. Proximum quatriduū mutua salutandi & amicos conueniendi officia abstulerunt. Diè Iouis, qui erat XVI. Iunij, eo in atrio, in quo antè fedus, vt diximus, ictum fuerat, maximo & regio apparatu saltatio fuit acta, ad quam spectandam Anglus legatus fuit introductus. Totum atrium (nox enim iam erat) crebris cereis & lychnis ex argento magnam partem factis collucebat.

Solium etiam columnis aureis innixum, miro & regali planè ornatu visebatur; à cuius vtroq; latere angeli tubas inauratas manu tenentes, adstabant. Infra solium tria collocata erant sedilia, regi, reginæ, & regis filiæ Infanti. Quum omnes consedissent, angelorum alter tubam inflauit, statimq; mirabilis Musicorum audiri cœpit concentus, regi & reginæ de nato filio gratulantium, eiq; omnia fausta precantium. Vix hi finierant, quum viginti quatuor cornua aliaq; instrumenta Musicâ inflantes & tangentes, personati omnes, ab octodecim ministris cereos albos prælucentibus introducuntur: sequuntur sex virgines, quæ diuerso colore & habitu diuersas virtutes repræsentabant: post hæc à duobus[illegible] equis currus trahebatur, cui Infans Hispaniarū deæ os habitumq; & manu sceptrum gerens, media inter duas speciosissimas virgines insidebat. E curru Infans in suū solium sessum se recepit; cæteræ verò virgines infra eiusdē pedes consederunt. Post hæc aperto atrij ostio vitreum cælum facibus vndiq; collucens mirabili artificio fuit admotum, è quo tanquam in nube qui saltationem peracturi erant, descenderunt, bini viri & feminæ. post multa patia tandem rex quoq; & regina, Dux Sabaudiæ & nescio quæ alia virgo per eandem nubem deuecti, postquam iucundissimo spectaculo aliquandiu saltâssent, tandem deposita persona, rex & regina in solio consederunt, virginibus interea quæ virtutum imagines gerebant, choreas ducentibus. Post simul omnes, deinde singuli, atq; inter cæteros Perthi Comes & Villiglaum Barò, Angli, Pyrrhicham Gallorum more saltârunt; post alia saltationum genera, in primis quo prælium illud ad Ticinum Gallis aduersum adumbratur, vsurpata sunt, donec tandem rex & Legatus finem huic exercitio vel ludicræ oblectationi imposuerunt, iam post noctis, vt cum Varrone loquar, meridiem. Inter alium quo regina fulgebat ornatum, adamantem aiunt fuisse centum scutatorum milibus, & vnionem triginta milibus æstimatum. Saltante rege, omnes erecti stabāt, nec quisquam immiscere se audebat præter eos quos rex ordinarat. Die Veneris, XVII. Iunij Legatus regi & reginæ valedicens, immēsis ac plusquam regijs donis fuit affectus, quorum precium LXX scutatorum milia excedere scribitur, præter ea quæ legationis comitibus sunt exhibita: perq; regnum, lautijs vbiq; præstitis, deductus, è portu Samtandreano classem soluens non ita multos post dies in Angliam feliciter appulit, & ad regem profectus, legationis suæ successum & mandata exposuit.

Nunc ad earum rerum quæ in Belgio gesta duabus proxime præcedentibus & sequentibus figuris adumbrantur, venio, quarum historiam prolixius descripsissem, si fide digni alicuius narratio suppetijsset.

In Flandria hactenus pars vtraque ad Vaterfletum pagum castra opposita habuerunt, eo fine vt loca quibus timebant, propugnaculis & præsidijs firmarent, excursionesque hostiles prohiberent. Comparatis ad expeditionem rebus omnibus, Ambrosius Spinola regij dux exercitus primus castra mouit, & copiarum partem sub Caroli Longovallij Buquoij Comitis imperio præmisit: qui primis mensis Iulij diebus, abactis Ordinũ, quæ ad flumen intercludendum aliquamdiu ibi hæserant, duabus nauibus præsidiarijs, Rhenum supra Coloniam traiecit, & per proximos pagos distributum militem dierum aliquot quiete recreauit. In hoc exercitu Italorum recens adductorum aliquot erant milia, è quibus multi morbis ex insueto aëre & cibo vehementer afflicti quotidie moriebantur, vel membra languida ægre trahebant. In hos magna ciues Colonienses vsi sunt misericordia: etsi postea in itinere multi defecerunt; plures verò vbi paullulum conualuissent (inter quos & sano multi corpore) à signis frequentes discesserunt.

In Flandria adhuc erat Mauritius, qui Rinberca metuens mox Ernestũ patruelem cũ satis magna militũ manu & ingenti apparatu eò misit. Vesalia quoque non parum trepidabat, quare & heic magistratus vrbis propugnacula quæ tũ ædificabãtur, magno studio perfici, ac ciues in omnem euentũ intentos esse iussit, superiorum temporum quo Mendoza Arragoniæ Admirãs eadem in loca expeditionem susceperat, adhuc memor. Buquoius vlteriorem Rheni ripam legens ad Cæsaruuerdam tertijs castris peruenit, ibique mox duobus propugnaculis vtramq; Rheni ripam muniuit, vt tam pabulatoribus quàm annonæ aduectoribus tanto securior esset receptus. Heic circa initium mensis Sextilis Spinola cum reliquo exercitu (in quo vt alij scribunt, mille circiter equites, peditum 7000) & tormentis per agrum Iuliacensem profectus in castra venit: mox relicto ad tutandum flumen cum parte copiarum Buquoio Comite, iter Vestphaliam versus hoc ordine est ingressus.


Primum agmen, præter eos qui ad viam sternendam præmissi erant, sex tenebant equitum alæ, hinc pontones ac reliquus naualis apparatus curribus impositus vehebatur. Currus hos viginti quatuor peditum vexilla in tres cohortes distributa subsequebantur: post hos tormenta ac magnus curruum numerus apparatu bellico, annona & pecunia onustorum trahebatur: inde calones, lixæ, ac cetera imbellis turba cum impedimentis incedebat. Agmen Spinola cum reliquo peditatu & equitatu suoque satellitio claudebat.

Quantus harum copiarum numerus fuerit non dixerim; quidam duodecim peditum & tria equitum milia fuisse scriptis prodiderunt, cum tribus curruum milibus: alij maiorem numerum ponunt. Superato ad Duisbergam saltu & traiecto Rura fluuio, Spinola Dorstenum atq; inde Cossueldam in Vestphalia, porro verò in agrum Tuentanum, toto in itinere ne viso quidem hoste contendit: ibiq; mox antiquorum Saliorum sedem (vt nonnulli interpretantur) Oldensilium oppidum obsedit, mediocriter magnum & veteri modo non malè munitum; in quo quatuor peditũ signa cum vna equitum turma Ordinum nomine præsidium agitabant: Collocatis tormentis, & murorum parte aperta, ciues & præsidiarij vita & fortunarum incolumitatem pacti Spinolæ se oppidumq; dediderunt.

Oldensilum.

Linga.

Hinc translatis ad Lingam castris, nominibus impigre oppidi & arcis oppugnationem Spinola instituit, & cuniculis actis, & aqua e fossis deriuata (ad


WACHTEN
Anno 1605 den
Das alte Schloſs
Moraſs



)VNCK
28 October.
Guldern
parß
DAS
KO
GISCHE
Comt-Bucquoy
Mine
Die Nerse ft.
GER

quam rem magno ei æstatis siccitas maior iis in locis solito fuit adiumento) intra paucos dies præsidiarios periculi metu perterritos ad deditionem coegit: quæ insperata valde Ordinibus & Mauritio accidit; eamque ob caussam præfectus postea è vinculis caussam dixit.

Interea Mauritius qui hactenus in Flandria fuerat, Dauentriam copias mirabili quodam morbi genere vertigini similis vexatas, conuenire iubet, parum, uti videbatur, eam quæ tum ab Ordinum quibusdam, in rebus nonnullis administrandis usurpabatur, rationem probans. Altercationes alij, proditiones etiam ponunt, de quibus nobis nihil præter audita est compertum: sed hæc scribere res est plena imprudentiæ & temeritatis. Alij quoque multas centurias hominum occisas, equorum abactas narrant: quæ negant qui præsentes expeditioni interfuerunt. Semel tantum equites aliquot Hispani, inter quos Comes fuit Soraus, à Thoma Fillero (qui iam pridem à seditiosis qui Grauiæ hybernarant, cum centum circiter asseclis transierat) prope Rhenam pagum insidijs circumuenti sunt, cæsis hostium aliquot, & triginta equis captis, Sorao etiam vulnerato: è quo tamen vulnere non multo post conualuit, & adhuc viuit; quod eo scribimus, quia nonnulli mortuum eum prodiderunt. Lingam Spinola erectis ante muros & portas vallis mirum in modum communiuit: sed quum hostis vicinus esset (Mauritius enim castra ad Conordam habebat) alio loco tentandam fortunam existimans, magno Oldensili & Linga relicto præsidio, exercitum quà venerat ad Buquoium in castra reduxit. Dum hæc ad Frisiæ fines vi & aperto Marte geruntur: Hispani in Brabantia locis aliquammultis: (nam dolus an virtus, quis in hoste requirat) insidias struũt, Grauiæ primum, quã rusticus ab Hispanis, quod tardius aliquanto incederet verberibus multatus, clam se subducens & compendiosiori via præcurrens, oppidanis detexit. Bergopsomæ iam in vallo atq; adeo intra muros erant Hispani, sed cum clade reiecti sunt: paucos post dies ijdem cum maioribus copijs & apparatu reuersi, noctu iterum horribili sublato clamore vrbem assilierunt, intra atque extra vrbem pugnarunt; sed præsidiariorum virtute & vigilantia, non tantum re infecta, verum etiam magna clade accepta receptui canere coacti sunt. Similibus strategematis Lilloum & Lifkenshoeccum duo ad Scaldim fortissima Selandorum propugnacula; nec non Voricomum & Tielæ, duo ad Vahalim oppida petita dicuntur.

Spinola posthac Septembri iam exeunte, quũ iam antè Rhenum ponte iunxisset, Buquoium Comitem cum exercitus parte & cunctis fere curribus ad Vachtenduncum obsidendum misit: qui Nersam fluuium quo oppidum aluitur, continuo obstruxit; & Vachtenduncum.
quamuis hoste propinquo (Mauritius enim ad Vesaliam tum, Rheno fluminis ponte imposito, cum exercitu consederat) castris nihil aut parum communitis, quà terra maximè sicca erat, cuniculos agi iussit. Interea vicinum oppidum Geldriam Ordinum milites nocturnis insidijs aggrediuntur: quibus si fortuna respondisset, Vachtenduncum sane magna ex parte periculo fuisset liberatum. Præsidiarij quidem acriter se defendebant & continuis tormentorum ictibus quantum poterant castris damnum inferebãt: sed victi tandem incredibili Buquoij diligentia, postquam disrupta cuniculo magna pars valli concidisset, & primam ipsi Anglorum impressionem fortiter sustinuissent, ad secundam se hoste accingente, spe defensionis abiecta hosti se dedere tutissimum duxerunt: qui eos cum armis & impedimentis omnibus ad suos libere abire permisit. Huius quoque oppidi tam facilis (si tempus videas) expugnatio multis fuit admirationi; alijs regiorum diligentiam & solertiam (cuius sane non vulgare hac expeditione specimen dedere) laudantibus, alijs Mauritianorum torporem & ignauiam, vt ipsi loquebantur, carpentibus.

Durante adhuc obsidione Mauritius per exploratores certior factus, Triuultium Comitem Mulhemi ad Ruram cum equitum aliquot turmis & peditum cohortibus pabulandi gratia stationem habere; septendecim equitum turmas & peditum non exiguam manum cum sex aut septem tormentis campestribus eo misit.

Hi primo impetu oppressos aliquot trucidarunt; sed mox terrore ad ceteros perlato, Triuultius prouolans suos in aciem educit, vbi in fronte magno animo pugnam iam aggressurus tormenti ictu interfectus est. eius cadauer ceteri in Bruchbam castellum, pertarunt; dum interim Spinola de suorum periculo monitus validis cum copijs hosti obuiam proficiscitur. hic rursus acris pugna orta est. cessere loco Mauritiani milites, è quibus plurium ceciderunt, aliqui capti sunt.

A Mauritianis quoque inter ceteros captus est Nicolaus Doria, Spinolæ agnatus; & ab eodem periculo parum absuit Henricus Fridericus Mauritij frater, qui è medio hostium agmine agre se eripuit.

Cracouia. *Ad Vachtenduncum reparatis ruinis, & præsidio imposito, Buquoius, hostem interim obseruante Spinola, Cracouiam paruum sed munitum Nuenariensis Comitatus castellum quasi ex itinere oppugnauit, ac tormentis ita concussit, vt propugnatores, hostibus magno numero vallum scandentibus, loca tuta circumspicere cœperint.*

Quidam in proximam turrim confugerunt; alij è muro per fossas in proximas paludes sese eiecerunt. illi quidem quum se victoris arbitrio permisissent, in templum pagi Creueldani inclusi, deinde spoliati cum albis bacillis dimissi sunt.

Mauritius interim in Mursam oppidum & castellum magnam vim comeatus intulit, & firma equitu peditumq; auxilia misit.

His rebus feliciter gestis, Spinola distributis quos præsidia non capiebant per agrum Luxemburgensem & Limburgensem in hyberna militibus, Bruxellas, atque inde per Galliam in Hispaniam contendit: Buquoius vero ad vtramque Rheni ripam vbi Rura dicto fluminis miscetur, duo firmissima propugnacula excitauit, in quibus milites hyemem hanc sub pellibus transegerunt.

Nunc ad extremum, explicatis breuiter quæ in Belgio gesta sunt rebus, Hungariæ statum paucis describamus; is è sequentibus litteris Vienna missis facilè perspici potest, quarum hic est argumentum.


Tota Austria miserijs & calamitatibus redundat. Ex arce hic & vallo liceat quandoq; vno & eodem contuitu quindecim incendia in subiecto agro prospectare, partim a rebellibus & Turcis, partim à nostris seditiosis militibus excitata. Odenburgum adhuc obsidetur: ad Himburgum vsq; Heiducci excurrerunt; quos nisi Colloniciani milites repressissent, iam suburbia hæc capta essent & in cinerem redacta.


Neostadium ab hostibus vndiq; coangustatur. pagi omnes circa Viennam ad Dreisokirchbam vsq; incendijs sunt desolati. Brunna & Entzendorfium quoq; in cineribus iacent.

Valones ad Miedlingam castra habent; populum miserrimè diuexantes omnibusq; fortunis spoliantes.

altenburgum municipium nocturnis insidijs Heiducci interceperunt & ingenti præda abducta exusserunt. eandem fortunam arx subitura erat, nisi ei centum sclopetarij forte fortuna eò delati, præsidio fuissent.

Visselburgo ad sex milia hostium circumfusa sunt. contrà hos an Valones quidquam tentaturi sunt, valdè dubitatur.


KRAKO
Conte Boucquoy
Engles quarter
Moraß


Das Weisree quartier
Moraß
Creyelt

Presburgum quoq; in summo est periculo; præsidiarij enim, nisi stipendia intra diem constitutum numerentur, ciuibus direptionem & dira quæq; minantur.

Qui si inde discedant, dubium non est, quin Heiducci statim relicta ab ipsis hospitia sint occupaturi.

Omnia fora & compita heic omnis sexus & ætatis profugis plena iacent, miserabili sanè spectaculo.

Vias omnes nostri obsident milites, comeatumq; intercludunt: & quid multa dicam, crudelitate & hostilibus factis ipsos pœnè hostes vincunt.

Pueros & infantes qui per ætatem incedere non possunt, equis impositos secum raptant: quorum heielatu vel saxa moueri poterant. non tamen illi mouentur, quin multi humo afflicti atq; illisi passim reperiuntur.

Tantam quoq; in moribus immanitatem rebelles præ se ferunt, vt ipsi etiam Turcæ obstupescant. Strigonienses Hungari omnes cum supremo legato detestabili perfidia ad Turcas defecerunt.

Circa Isenstadium omnia ab hostibus ablata atq; abacta sunt. Neobusienses à triginta militibus obsessi viros hactenus sese præstiterunt, & secundam iam impressionem multa cum hostium strage repulerunt.

Neobusio occupato Strigonium moturos fama est. Duodecim Turcarum milia ad Essecum oppidum iam pontem transijsse, & Botscaio qui circa Epperias castra habet magna pecunia & virorum auxilia venire dicuntur: qui pactum cum Sultano fecisse dicitur, vt quemcunq; locum alter prior occupauerit, eius loci ius & integram habeat possessionem.

Ehrenricus Tanbuserius qui Fillecca præfecturam nuper administrauit, Botscaio, vti ferunt, iam à consilijs est.

Husta in Transyluania Germenchium trium mensium comeatum intulit.

Deus afflictæ patriæ misereatur, pacemq; suam vniuerso Christiano orbi largiatur.